AD

EXAMINA

IN

GYMNASIO REGIO POSTAMIENSI

DD. XXVI. ET XXVII. MARTII MDCCCXXXIX

PUBLICE HABENDA

LITTERARUM PATRONOS IUVENUM PARENTES SUMMA QUA DECET OBSERVANTIA

INVITANT

DIRECTOR GYMNASII ET MAGISTRI.

INSUNT:

1. ANNOTATIONES AD TIBULLUM. PARTIC. I.
2. ANNALES SCHOLAE.

SCRIPSIT

FR. A. RIGLER.

POSTAMII.

TYPIS DECKERI TYPOGRAPHI REGII.

Legiturque Tibullus Et placet. *Ovid.*

Lib. I. Eleg. I. v. 1. Scriptura *congerat* quin germana sit, iam dubitari nequit. Aliud enim sonat *pecuniam conferre alicui*, quod dicitur sic, ut munera, honores alicui conferre: aliud *congerere sibi opes*, velut Horat. Serm. I. 1, 32. cum sibi sint *congesta* cibaria: nam huic subest significatio coacervandi, cumulandi; non item alteri. — v. 2. Pauca culti agri iugera sunt parva rura (vid. Horat. C. II. 6, 37. III. 16, 29), ut miseri illius clientis apud Iuvenalem (Sat. IX. 58) aut Fabii apud Silium Italicum (l. VII. 260). *Magnae* legiones Horatii huic loco conferri non possunt. Etenim sive robur sive spatium, quod illae occupant, intelligitur, utrumque incertum est et infinitum. At *iugerum magnum* absurde foret dictum, quod iugeri mensura certa est. Neque vero *magna* hic pro *multa* est positum; quod omnino fieri nequit, nisi ubi non interest, utrum numerum rerum an spatium, quod tenent, mente concipias, velut *magna pecunia* sane idem valet quod *multa pecunia*, *magnus populus* idem, quod *multus populus* itemque cetera huius generis: nec tamen nulla est differentia. Quid multa? nomen numerale hoc loco unum requiritur. Confer. infra II. 3, 42. Horat. Epod. 4, 13. Ovid. Fast. III. 192. — v. 3. Frustra nonnulli tentarunt *terreat*: iure illud tuentur Huschkius, Lachmannus, Dissenius, alii: sed quos locos viri doctissimi ad firmandam scripturam vulgatam ex Ovidio et Horatio protulerunt, iis nihil probatur. Nec opus est ad eam sustentandam exemplis aliunde petitis. Apparet, non de quovis labore idem posse praedicari: at hic labor dici potest *terrere*: quippe cuius natura qualis sit adiectis vocibus *vicino hoste* satis declaretur. Quod *hosti* tribuendum erat, Tibullus usu poetarum haud infrequenti ad eam rem traduxit, quam hostium propinquitas attulit. Multae apud scriptores reperiuntur locutiones, quae, cum sint minus usitatae, probae tamen ac sanae sunt, velut *locum condere* (Horat. Serm. I. 5, 92) aut *moliri* (Virg. VII. 158). — v. 5. Error interpretationis peperit scripturam *vita*: quae tam insulsa est, ut digna sit, quae oblivioni detur. Quod idem fiat aliquando oportet inutili variae scripturae farragini, qua multos libros oneratos videmus. — v. 6. Scriptura *exiguo* ea est, quae primo aspectu imprudentiori facile imponat. Nam ad *exiguum* pauperis focum *exiguus* ignis videtur egregie quadrare. At recte Huschkius monet, suaviter opponi *assiduum* ignem *assiduo* militis labori: nec quidquam impedit, quominus hic ignis assiduus fuerit, igniculus exiguo foco aptus. — v. 12. Infra (El. 2, 14) Lachmannus ex libris dedit *florida*: alii *florea*, quam germanam scripturam fuisse, Dissenio persuasum est. Apud Ovidium (Fast. VI. 312) velant scabras molas *florida* serta: sed eadem hic quoque est scripturae inconstantia. Paucis: si quis serta dicit copia ac varietate florum distincta, ei scribere licet *florida*: at si, uti et hoc loco et sexcentis aliis serta intelliguntur ex floribus facta, *florea* scribendum est. Vide

Burmann. ad Antholog. lat. l. III. ep. 229. — v. 14. Agricolae deum i. e. deorum omnino dici non potest: positum autem esse agricolae pro *agricolarum* non magis est probabile: nec ita hoc nomen collocatum est, ut ad *mihi* revocetur. Itaque legendum aut *agricolae — deo* aut *agricolam — deum*, aut si *agricolas caelites*, non unum Silvanum intelligas, *agricolis*. Hoc reponi non debet, quin *deum* in *deis* mutetur: nam hanc numerorum gratiam a veteribus non neglectam esse, constat: sed mutatio est paullo audacior: restat, ut aut Mureto aut Lachmanno consentias. Mihi Mureti opinio probatur, tum quia compendio scripturae *deum* facilius ex *deo*, quam ex *agricolae agricolam* nasci potuit, tum quod, syllaba *um* extremam sedem tenente, syllaba *am* in medio versu posita suavitati numerorum officit. Ceterum *deus agricola* legitur etiam infra 5, 27. *anteponere* autem prandium, coenam, cibos alicui, iam ex Plauto notum. — v. 22. *Hostia parva soli.* Hanc scripturam Lachmannus et Dissenius retinuerunt dissentientes a Mureto, cui *magna* placuit: in quo Heynius eum et Huschkius secuti sunt. Apparet, hoc distichon ita comparatum esse, ut singula singulis fere verbis respondeant: *tunc — nunc*; *vitula — agna*; *innumeros iuvencos — exigui soli*; *lustrabat caesa — hostia est.* Restat *parva* aut *magna*: nam utrum verum sit, ambigitur. Qui *magna* malunt scribi, rationem habent *exigui soli*: non male istud quidem: praestare tamen videtur *parva*: quo attributo et natura hostiae maximae a poetis fere insignitur, velut Virgil. Eclog. I. 1, 7. Hor. C. II. 17, 32., et illud efficitur, ut, quod totius loci caput est, quam fuerint attritae opes Tibulli magis etiam perspiciatur. Ovid. I. Trist. 10, 43.: hanc si contigerit, meritae cadet agna Minervae: Non facit ad nostras hostia maior opes. — v. 25. Iam modo non possum contentus vivere parvo Nec semper longae deditus esse viae, Sed canis aestivos ortus vitare sub umbra, Hic locus valde exercuit acumen doctorum virorum, quorum opiniones exponere operae pretium est. Ac nonnullis quidem eorum *modo non — sed* positum videbatur pro *non modo — sed etiam* aut pro *non modo non.* Haec somnia erant vana et inania. Alii *modo non* putarunt esse *propemodum*, graece *μονονουχί*; quod hic quidem putidum foret atque ineptum. Huschkius excogitavit *Iam possum, modo non contentus, vivere parvo*: quod certe Tibullo, eleganti ac terso scriptore, prorsus indignum est. Heynius diligentissime in hoc loco explicando versatus acute vidit verba *contentus parvo vivere* spectare id, quod supra dixit, *me mea paupertas*: illa autem *vitare sub umbra* referri ad verba *traducat vitae inerti*; deinde laborans in interpretandis verbis *longae deditus esse viae* non aperte quidem, sed ita tamen, ut cognosci possit, proponit coniecturam: *nec semper longae taedia ferre viae.* Haec haud dubie faciliora sunt intellectu: nihil amplius. Lachmannus comparans I. 2, 71. opinatur scribendum esse: *iam modo si possim*, ut haec iungantur cum verbis antecedentibus: ac propterea fortasse virgulam posuit post vocem *cadet.* Contra dicit Dissenius, nec iniuria. Nam utriusque loci ratio differt: non dubitat Tibullus, num possit contentus vivere, sed gaudet his suis bonis: laetatur iucunditate vitae rusticae, cuius securitas atque tranquillitas toto hoc carmine cum periculis et molestiis militiae componitur. Etiam Gruppius adversatus est Lachmanno, sed haud scio an nulli eius coniectura probetur:

coniicit enim: Iam modo *sic* possim i. e. wie gerne wäre ich zufrieden mit so geringem Besitze, wenn mir seine Dauer nur sicher wäre: quae sententia quomodo ex voce *sic* erui possit, non intelligo. Dissenius coniecit: *iam modico possum contentus vivere in arvo.* Verum probabile non est, *modicum* dici a Tibullo agrum, quem modo exiguum vel pauperem appellavit. Nam *modicus* non est *parvus, exiguus, vilis*: quamquam nonnulli ita interpretantur, velut Heindorf. ad Horat. Serm. I, 5, 2. Neque illud, quod Dissenius requirit, *domi* aut *arvo*, ego admodum desidero, cum ex subsequentibus verbis id ipsum intelligatur. Alias coniecturas, velut *iam modulo possum: iam nec non possum; iam, modo iam possum; iam volo, iam possum; iam modo, iam possum* satis est commemorasse. Expositis virorum doctorum opinionibus ipse quid de hoc loco sentiam, dicam. Verba *possum contentus vivere parvo* nullam mihi suspicionem movent: est enim locutio proba ac sana, sive explicabis: ego contentus possum parvo vivere sive parvo contentus vivere possum (conf. Horat. C. II. 16, 13. Serm. II. 2, 1, 110). Etiam verba *longae viae deditus esse*, etsi speciem prae se ferunt novitatis, me non ita offendunt, ut depravata existimem. Ovid. Am. I. 9, 9.: Militis officium longa est via. Non comparaverim quidem Lucretii *cervam fugae deditam*: propius est Ovidianum *aequoribus deditus* (ᾧτε θαλάσσια ἔργα μέμηλεν Hom.). Sed ad similitudinem locutionum, *ventri, quaestui deditus est, spectaculo mentes cum oculis deditae erant*, dictum esse puto *viae longae deditus*: nam sponte lucri et quaestus causa horum itinerum molestias subibant. Itaque non modo qui in rem aliquam incumbit, vel in ea exercetur, sed etiam qui omnes cogitationes omniaque consilia ad aliquid dirigit, *deditus* dici potest. Verba *caniculae aestivos ortus ... vitare* i. e. aestus orientis caniculae (conf. Horat. C. I. 17, 18. Ovid. Am. III. 5, 7. Hom. XVI. 203. βίας ἀνέμων ἀλεεινων) nihil habent offensionis. Certa etiam scriptura est *rivos*. Restant verba, in quibus expediendis tot viri docti desudarunt. Et altera quidem scriptura *iam modo non* mihi videtur desperata. Nam quidquid egeris et molitus fueris, spem fallet. Alteram Handius (de partic. Tom. III. p. 648) amplexus ita interpretatur: nunc quidem pace restituta, militia solutus: nun kann ich jetzt doch mit wenigem zufrieden leben. At quod vertit *doch*, non est in latinis: *iam modo nunc* valent *Schon eben jetzt*; quod si addideris ea, quae sequuntur *nec semper longae d. e. v.*, fortasse mecum senties, haec verba esse admodum impedita. Neque apud Virgilium Aen. l. IX. 141. *iam modo nunc* legitur, sed *modo non.* Dixerat poeta, *agna cadet vobis*, nihilque deos orat, nisi ut messes ac bona vina dent. Paullo infra, postquam deos invocavit, parva, inquit, seges satis est: tum, *hoc mihi contingat*, denique in extremo carmine: ego composito securus acervo despiciam dites despiciamque famem. Ex his igitur locis, cum poeta per totum hoc carmen in iisdem imaginibus varie exornandis versetur, colligi potest, cum hoc loco aut laetari, quod tandem sibi contigerit his bonis frui, aut dicere, modo darent dii messes et bona vina, se posse iam contentum vivere parvo. Itaque legendum aut: Iam tandem possum, aut: Sic ego iam *possim* i. e. haec si dederitis sc. messes et vina — dabitis autem, ut spero et confido — tum ego iam contentus potero vivere parvo nec

semper cet. — v. 37. *e paupere mensa.* Ita Lachmannus et Dissenius, ceteri *de mensa.* Si *mensa* ponitur pro *cibis*, sane utrumque dici potest et *e mensa* et *de mensa*: at hoc loco mensa est ipsa tabula, in qua dona apposita erant: id ex attributo *paupere* cognoscitur. Quam *pauperem* Tibullus, Horatius *tenuem* vocat. — v. 51. Lachmannus auctoritate librorum permotus scribi mavult *auri pereat potiusque smaragdi.* At iure Dissenius, Heynium et Huschkium secutus, vulgatam *potius pereatque* reposuit. Unde is loquendi modus ortus sit, videre licet ex illis: despiciam dites despiciamque famem, deficiant artes deficiantque doli; laudat Brutum laudatque cohortem: sollicitant malo te circum Tantale poeno, sollicitantque siti (Lucil. Actn. 80); et quae sunt alia id genus. Verbo igitur, non ei voci, quae bis certe poni non potuit, adiicienda est particula *que.* Nec enim comparare licet Horatianum illud *idem pacis erat mediusque belli* (C. II. 19, 28): sed conferas potius C. II. 7, 25. 17, 16. 19, 28, 32. Verum res manifesta est nec argumentis eget. — v. 70. Apud Homerum θανάτου μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν et alibi ἀμφὶ δὲ ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψεν: infra mors atra avidas manus abstineat (el. 3, 4): apud Horatium atris circumvolat alis; saepe *pallida* vocatur: hic mors dicitur tenebris adoperta caput: hae omnes imagines sunt poeticae non aliunde, nisi ex media vita petitae: quamobrem commentis doctorum virorum non opus est, ut recte vidit Dissenius. — v. 71. Non potest dubium esse, num *licebit* an *decebit* legendum sit. Ovidius I. Am. 9, 3. Quae, inquit, bello est habilis, Veneri quoque *convenit* aetas. *Turpe* senex miles, *turpe senilis* amor. Horat. C. II. 11, 6. arida pellente lascivos Amores Canitie. Dedecere igitur senectutem has nequitias Tibullus quoque testatur.

Eleg. II. v. 2. Lumina victa, quae occupet sopor, in memoriam revocant verba Ovidii (remed. Am. v. 500): dum videor (dormire), somno lumina victa dedi. — v. 17. Haec nova limina pepererunt novos illos dolores, in quos cadit, quod Ovidius dicit (Trist. IV. El. 6, 25): Tristior est etiam praesens aerumna priore. Quam lepide ac facete illud a Tibullo dictum sit, iam animadvertit Dissenius. — v. 20. En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe. Iam Heynius hunc hexametrum a manu Tibulli profectum esse censuit; pentametrum, cuius magna est in libris varietas, damnavit ut subdititium; in qua re ei consentientes Lachmannus et Dissenius hexametrum ab aliis exulare iussum revocarunt. Pentametri sententia coniectari debet: nec est difficile. Fuisse in eo collocatum aut nomen Veneris aut pronomen *illa*, intelligitur ex sequentibus *Nec sinit.* Cic. ep. ad Att. II. 24.: non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus et anxius: quamquam haec huic loco conferri nolim. At idem docet, anxietatem esse prementem aegritudinem nec semper angi, qui anxii sint. Etiam hoc loco *anxius* significat illam inquietudinem, quae ubi animum vexat, non dormire quemquam nec usquam manere sinit. Haec poetam domo propellit, ut tota urbe vagetur. Neutiquam igitur *anxius* pugnat cum iis, quae de Veneris custodia ac praesidio iactantur. Ovid. I. Am. 6, 10.: At quondam noctem simulacraque vana timebam, Mirabar, tenebris si quis iturus erat. Pentametri sententia haud dubie erat: per Venerem ab omnibus terroribus poetam defendi (conf. Propert. III. el. 16). — v. 29. Ti-

bullo frigora *pigra* appellantur, Horatio campi pigri, in quibus nulla arbor aestiva recreatur aura. Etiam *bruma* et *glacies* vocantur *inertes*. Conf. omnino Gierig ad Ovid. Metam. II. 173. — v. 40. Ovid. Trist. I. 2, 108. ira maris frangitur. Horat. C. III. 4, 30.: Bosporus insanit. Valer. Argonaut. VI. 355.: venti inter se contendunt, quem eo die *rabies maris* sequatur. *Rabidum* igitur quin mare dici possit, dubitari nequit. Paullo infra flumen vocatur *rapidum*: quod attributum fluminum naturae maxime convenit. Conf. Lucret. IV. 423. Virgil. XI. 298. Horat. I. 12, 9. Ovid. Fast. II. 205. Am. I. 8, 6. 15, 10. III. 6, 51, 80. et infra l. IV. 126. Nec vero maris etiam fluctus *rapidos* et esse et dici quisquam ignorat: sunt enim hi quidem nunquam non rapidi (cf. III. 4, 8). Quod si poeta hoc loco de ortu Veneris marinae narraret, *rapido* potius, quam *rabido* legendum esset. Nam cruore de superno spumeo Pontus globo caerulas inter catervas inter et bipedes equos fecit undantem Dionen de marinis imbribus (Pervigil. 9 sqq.). Ovid. Fast. IV. 93. iuraque dat (Venus) caelo terra, natalibus undis. At hoc loco Tibullus graviter denuntiat, Venus lacessita quam acerbas poenas exactura sit, atque ut impotentiam muliebrem deae et iracundiam significaret, addidit, eam *e sanguine ortam*. Quae cum ita sint, haud scio an praestet legere *rabido*. Id placuit etiam Gruppio. — v. 44. Apuleius Met. I. 3.: istud mendacium tam verum est, quam si qui velit dicere, magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimis exspirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri. Ovid. Metam. VII. 199—209. Lucan. Phars. VI. 467. (et tonat ignaro coelum Jove). Ciere tempestates, elicere fulgura carminibus suis istae magae credebantur. At harum artibus retro verti posse fulmina, id veteribus, puto, ne in mentem quidem venit. Norant illi tantummodo *fulmina caduca*. Est denique locorum, quibus scriptura *fluminis* munitur, tantus numerus, ut omnis dubitatio tollatur. Conf. etiam Ovid. Am. I. 1, 26. — v. 57. *Nam cetera cernet*. Lepide iocatur Tibullus. Ac saepe miratus sum, non deesse, qui in interpretandis his carminibus ita versentur, ut omnia, quae Tibullus narrat, ad veritatem composita existimare videantur: quo nihil fieri potest perversius. — v. 58. *Sentiet ipse nihil*. Sic Heynius, Huschkius, Lachmannus: sed iam Heynius, *ille* inquit, mollius ad meum sensum est. Immo necessario ita scribendum: quod fecit Dissenius. Supra ponendum erat *ipse*, hic ratio ipsa flagitat, ut reponatur *ille*: neque opus est sexcentos locos afferre, quibus demonstretur, *ipse* et *ille* a librariis commutata esse. Apud Virgil. VII. 110., quamvis adversetur librorum auctoritas, *ipse* legendum, frustraque Gierig ad Ovid. Metam. I. 848. alteram scripturam tuetur. Ceterum conf. Ovid. Am. II. 2, 57.: Viderit ipse licet: credet tamen ille neganti Damnabitque oculos et sibi verba dabit. et I. 8, 4.: nigri non illa Memnonis *in roseis* sobria *vidit equis*. — v. 67. Ille fuit ferreus ... His verbis ne Tibullus in se ipse iaculari putetur, prohibent cum verba *ille licet agat — insideat*, tum quod sequitur pronomen *ipse*: nec vero *ipse* est sponte (αὐτόματος, ut infra 3, 45). Quisquis ille fuit, qui cum habere posset Deliam, militare, quam domi manere maluit, alius erat, non Tibullus. Vir, cui Delia tunc nupta tenebatur, non erat: id manifestum est ex verbis *cetera cernet*: *de me*

uno sentiet; ille nihil: erat igitur alius amator, a quo deserta Delia stabili se coniugio coniunxit. Scribi autem potest et *ferreus fuit, qui maluit* et *ferreus fuit, qui maluerit*: alterum narrantis est, alterum rationem reddentis, cur is ferreus nominetur. Nemo haerebit, si quis dixerit: O illum ferreum, qui — maluerit: at eadem sententia verbis subest *ferreus ille fuit.* Quid plura! alterum est: der ist eisern gewesen, der dich ... gewollt hat; alterum der ist eisern gewesen, dass vel insoferne er — lieber gewollt hat. Quae hodie praecepta de ratione modorum divulgantur, omnes istas suspiciones dispellunt. — v. 71. Scriptura *contextus* non tam exemplis, quae Huschkius contulit, quam sensu poetae firmatur. Cum contemtione et irrisione haec a poeta nonnihil stomachante jaciuntur. Simili modo Pharasmanes apud Tacitum picta auro Medorum agmina compellat. — v. 72. *In solito.* Notum est, lectum, torum *solitum* dici, quo quis uti consueverit: qua de caussa castrensi cubili torus solitus opponitur supra 1, 44. Pascuis solitis conferri possunt Homeri ἤθεα ἵππων; *humus solita* apud Virgil. IX. 214. — male enim suadent nonnulli, *solita* interpunctione seiungendum esse *ab humo* — opponitur alienae seu peregrinae. Mons igitur solitus foret, in quo poeta iam ante greges pascere consuevisset: de qua re ipse nihil dicit, nec credo. Solitudinem locorum poeta quaerit: huic e regione oppositus est invisus castrorum armorumque tumultus. Haec me movent, ut consentiam, germanam scripturam esse *solo* monte (ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν). — v. 77. *Mollis in inculta*: ita Huschkius: sed recte Heynius, Lachmannus, Dissenius alteram scripturam *mollis et inculta* obtinuerunt. Quando poetae praepositionem *in* cum ablativo loci iunctam omiserint, quando posuerint, de hac re nihil unquam poterit certi constitui. In hoc genere una fere regnat numerorum necessitas. Hoc loco quisque sentit *et* multo magis, quam praepositionem *in* requiri: nam vel in inculta humo se dicit suaviter dormiturum. Hoc est acumen sententiae, quod perit omissa particula *et.* Coniectura *in dura* (confer, sis, Ovid. Am. III. 11, 10. aliosque locos, quos Heynius collegit) est egregia quidem: quippe enim commode inter se opponuntur *mollis* et *dura*: sed stragulis illis divitis amatoris ostro auroque pictis quid commodius opponatur, quam *inculta humus*? — v. 78. Huschkius rectius dictum ratus est noctem vigilandam venire *cum fletu*, quam *fletu simpliciter*; scripturum etiam fuisse Tibullum, si *cum* esset *quum, nox fletu cum vigilanda venit*, non *nox c. fl. v. v.* Itaque signum interrogandi positum vult post verbum *prodest*, sicuti est in exemplo Venet. Veruntamen neque asyndeto neque responsioni hic locus est. Verba enim *fletu nox vigilanda venit* causam aperiunt, quamobrem nihil Tyrius torus prosit; est amor adversus: is parit dolorem, gemitum, fletum, quibus somnus depellitur. Aliud est mit Weinen vel unter Thränen die Nacht durchwachen müssen: aliud vor Weinen: quod hoc loco intelligitur. Hos ablativos vocant caussales. Etiam apud Virgil. III. 664., quem locum laudavit Dissenius, gemitus, quae doloris significatio est, facit, ut Cyclops dentibus frendeat. — v. 80. Qui ducunt, praeeunt, subsequentibus iis, quorum duces sunt. Quanto igitur venustius dictum est simplex *ducere*, quam compositum *adducere*, pro quo volunt nonnulli positum *ducere.* Videlicet poetarum est, pro compositis ponere simpli-

cia: addam, et pro simplicibus composita. Nam illo praecepto nihil potest esse inanius. — v. 89. At tu, qui laetus rides mala nostra caveto Mox tibi, non unus saeviet usque deus. Ita Heynius, Lachmannus, Dissenius: Huschkio autem legendum videtur: At tu, qui l. r. m. n., caveto. Mox tibi non vacuus saeviet usque deus. Pro *laetus* Brouckhusius coniecit *lentus*; nempe *tu lentus*, omisso participio verbi *esse*: nam cum *rides* iungi nequit: alius est *lentus* ille *risus* apud Horatium C. II. 16, 26., quo egregie vultus depingitur hominis, qui quidem acerbitate doloris affectus est, sed hanc animi commotionem sapientia comprimit et vincit. Atque est *lentus* non modo is, quem nos dicimus *gelassen* (cf. Tac. Ann. III. c. 70), sed significat etiam gleichgültig, stumpf, gefühllos; inde illa lentissima brachia Fusci Aristii. At cur hoc loco *laetus* in *lentus* mutetur, nulla est causa satis idonea. Est enim risus hominis cuiusdam gloriantis et exultantis, quod ipse Amoris servitio immunis sit. Maximam vero explicandi difficultatem habet vox *unus* vel quod Huschkius in solis Exc. Pereii legi testatur, *uni*. Docent enim plerique *uni* valere id, quod *eidem*. Non ignoro, *uno tempore*, *uno loco* et posse poni et positum esse pro *eodem* tempore, loco: atque si scriptum esset *mihi uni* nihil foret, quo haererem. At si quis dicit *non uni*, intelligo equidem loqui eum de aliqua re, quae non ad unum, sed ad plures vel omnes pertineat. Verum esto: fac, hoc loco dictum esse *non uni* nicht einem i. e. einem und demselben: quid fiet voce *usque*? Apparet, loqui poetam de iis, qui numen dei contemtione et misere amantium irrisione provocarint: quorum superbiam et contumaciam a deo acriter punitum iri minitatur. Scriptura *non unus*, cum Tibullus de uno Amore loquatur, probari nequit. Huschkii coniectura *non vacuus* a Lachmanno pridem explosa est. Multo certe melius est, quod edit. Roman. praebet *non vanus*. Mihi in mentem venit: *At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto: Mox tibi nam durus saeviet usque deus. Durum* puto dictum, quia semel lacessitus non facile precibus flectitur aut mitigatur. Et omnino Amor talis est, quem Virgil. Aen. VI. 259. dicat crudeli tabe peredentem. Propert. I. 3, 13. hac Amor, hac Liber, durus uterque deus. Ovid. Am. I. 2, 17. *Acrius* invitos multoque *ferocius* urget, quam qui servitium ferre fatentur, Amor. Etiam Horatio Venus vocatur *saeva mater* Cupidinum. *Usque* poeta ipse sequentibus versibus explicat. Si *uni* ponitur, distinguendum est haud dubie post vocem *tibi*: quamquam verba *caveto mox tibi* et asyndeton *non uni* pro *nam non uni* non possunt non displicere. — v. 89. *Iuvenum lusisset amores.* Liquet, non de insano puerorum amore poetam loqui. Quod Santenius legi voluit *iuvenis*, ut esset, quod seni opponeretur, probari non potest. *Miseri amores* quin a poetis dici possint ipsi, qui misere ament, nemo quidem dubitabit: sed cum hos ipsos poeta velit esse iuvenes, requiritur, unde id agnoscatur. Quapropter *iuvenum* scribendum est, non *iuvenis*. Nam hunc iuvenum amore misere laborantium irrisorem aetate vigere, satis declaratur verbis sequentibus *post — senem.* — v. 95. *Circumterit.* Iuvenes omni tempore lascivos, petulantes, procaces fuisse, non infitias ibo. Horat. I. Serm. 3, 133.: Vellunt tibi barbam lascivi pueri, quos tu ni fuste coerces, urgeris turba circum te stante cet. Itaque istos quoque ineptos senes a lascivis iuvenibus circumdari, premi,

urgeri, conviciis peti; tundi etiam et pugnorum ictibus vexari solitos esse facile crediderim: attamen offendor voce *circumteri.* Ne compares illud cum verbis *dolare*, *fricare*, aliis id genus: neve cum iis, quae leguntur apud Statium Silv. I. 2, 237. (omnis plebeio teritur praetexta tumultu: hic eques, hic iuvenum coetu stola mixta laborat); nec magis commode conferri potest Naevii illud apud Prisc. (ed. Krehl. I. VI. 2, 11) »*Ut illum Dii terant*: ubi nunc *ferant* legitur, quod tamen vehementer displicet; ut paucis dicam, *circumterere* mihi nimium videtur. Scaliger excogitavit *circumstrepit*; non male. Verum esto: retineatur *terit*, quod plus valeat, quam *premit*, *urget*, modo seiungatur *circum*, ita ut sit adverbium. — v. 98. Quid messes uris — tuas. Iuvat apponere verba Ovidii (Am. II. 9, 5). Cur tua fax urit; figit tuus arcus amicos.

Eleg. III. v. 2. *O utinam memores*. Nulla est ellipsis. Haec arctissime iuncta sunt: ibitis ... mei memores tu ipse, Messala, et cohors tua. Vis particulae *utinam* tota apta et suspensa est ex voce *memores.* Cic. ad fam. XII. 25, 13. domus operam, ut navem rectam teneamus, utinam prospero successu; quem locum iam Dissenius laudavit. — v. 7. In verbo *dedat* significatio est pietatis vel amoris: huius enim est, benigne et largius dare: atque hae inferiae sunt γέρας θανόντων. — v. 9. *Delia non usquam.* Vulgata *non usquam est* elevat momentum, quod positum est in nomine Deliae. Longe aliter res se haberet, si particula negativa in hoc quoque versu primum locum teneret, ut si scriptum esset: non mater hic est, non soror, non Delia usquam. Pro *cum* Dousa ex coniectura dedit *quam*: at *cum* est *zur Zeit als* et ex sequente voce *ante* (vorher) intelligitur, id accidisse, antequam ex urbe mitteretur. Quo igitur Dousa *cum* mutavit? Haec emendatio nulla est. — v. 13. *Reditus* a Tibullo positum ait Brouckhusius, quod poetae plurali huius vocis uti solerent. Haec annotatio nihili est. Verum vidit Dissenius: reditum spondebant et dii, quos puella consulebat, et sortes puerorum, quotquot eadem domum retulit; hic igitur toties renuntiatus reditus induit plurium reditionum speciem — *deterrere* viri docti docent nonnunquam poni pro *dehortari*, *dissuadere*, *aliquem rationibus adducere*, *ut ne quid faciat*. At quamquam apud Ciceronem haec vox verbis *cohortari* vel *adhortari* opposita reperitur, non continuo tamen in significationem his contrariam detorquenda est. Nam vis *avocandi*, quam verbo *deterrere* subesse volunt, non est in *terrere* sed in praepositione *de*, quacum compositum est. Ipsum verbum *terrere* valet animum vehementius percutere: quod non minis modo, sed novitate etiam alicuius rei aut religione vel nimia quadam auctoritate fieri potest: *deterrere* igitur est animum ita percellere, ut a re facienda quasi amoveatur. Nos plerumque *deterrere* vertimus *abschrecken*: quod multis quidem locis quadrat, sed vim huius verbi non exhaurit. Hoc loco cum delectu est positum: Nam muliebres animi superstitionibus dediti sunt: in hac puella amoris aestus vicit religionem. Hic est terror ille, quo commotam puellam oportuit nec flere nec respicere. Pertinacia autem Deliae indicatur voce *nusquam*, ut recte monuit Dissenius. — v. 15. *Ipse ego — cum mandata dedissem*: eodem modo Ovidius, sed in alia caussa, Trist. I. 3, 59. hic etiam apertius, quod Tibullus

caussatus, ipse *mentitus* dixit. — v. 25. Quidve pie, dum sacra colis pureque lavari te, memini, et puro secubuisse toro. Male collocatum ait Heynius verbum *memini.* Huschkius quoque vulgatae anteponit Doeringii coniecturam: *Et memini puro.* At pronomen *te* neutiquam potest tolli. Modo dixit, quid mihi Isis prodest, quid prosunt sistra tuis manibus pulsa: tum addit, quidve sc. mihi prodest, *pure lavari et secubuisse*: quae ne iungantur cum eo ipso, qui negat id sibi profuisse, nonne necessario ponendum est *te*? Hoc igitur omitti non potuit. Concedam, perspicuitati melius consulturum fuisse poetam, si orationem ita composuisset, ut nulli essent in eadem sententia infinitivi, velut Ovid. Trist. I. 5, 3. IV. 3, 55. Fast. IV. 377. Am. I. 14, 50. II. 10, 1. alibi, aut si addidisset *nam*, ut Ovid. Metam. IV. 160. at veteribus quidquam in hoc loco offensioni fuisse, non credo. Nos quoque, modo vox *memini* virgulis inclusa sit, facile agnoscimus, eam interiectam esse. Quae sola vocis distinctione expedias, cave ne querelis et coniecturis sollicites. Recte autem Wunderlichius monuit, *memini* et ad vv. *pure lavari* et ad v. *secubuisse* referendum esse. — v. 27. *nam posse mederi — docet.* Dicunt omissum esse *te.* At quod Ramshorn. in Grammatica p. 433. de Cicer. Verr. 2, 33. dixit, et de hoc et de aliis locis huius similibus dici potest (confer. omnino Ruddimanni institut. gramm. latinae Tom. II. p. 12. annot. 36). Non omissum est hoc loco pronomen, quippe quod poni omnino non potuerit, quin potestas infinitivi *posse* imminueretur. Cuius sit haec potestas medendi, intelligitur iam ex verbis *tuis templis.* — v. 29. *Ut mea votivas persolvens Delia voces Ante sacras lino tecta fores sedeat Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia.* Oudendorpius et Heynius *votivas voces* explicant *vota*, comparantes Ovidii *verba precantia* Metam. VII. 590. XIV. 365. At apud hunc quidem verba precantia sunt preces certis verbis conceptae: posse autem omnino pro *precibus* a poetis poni *verba precantia*, haud facile erit qui neget, sed quid istuc ad *voces votivas*? Laudant Heynius et ipse Dissenius *preces votivas*: idemque in Forcellini, Gesneri, fortasse in aliorum quoque lexicis laudatum reperitur: sed unde id sumtum sit, nescio: veteres video dixisse *preces et vota, votis precari*: quo Trebellii Polliones (vit. Gallien. c. 3. extr.) et Apuleii (velut Metam. VII. p. 469) vim huius vocis deflexerint, non curo: apud veteres certo scio *votivum* sonare id, quod deo ex voto suscepto debetur, velut tabula, victima, tus, aliud id genus. *Voces* igitur *votivae* sunt voces Isidi ex voto reddendae. At id ipsum Dissenio scrupulum iniecit: nam si voces votivas, inquit, laudes intelligis ex voto deae debitas, mira exsistit sententia haec: ut Delia *laudes* persolvens promissas ante fores sedeat bisque die *laudes tibi dicere* debeat. Haec non ferenda ratus Dissenius novam iniit interpretandi rationem. Qui vota facit, inquit, vel legitima sacra vovet studiose se observaturum vel peculiaria quaedam promittit. Ego istud quid sit, non perspicio: qui *vota facit,* vovet aliquid: quid vel quale id ipsum sit, ex iis, quae addita sunt, noscimus. Sed esto. Utrumque, inquit, Delia fecerat: sedere volebat ante templum per certum tempus *et praeterea* etiam legitimos hymnos deae bis canere cum cetera turba horis consuetis: nam *etiam hoc* se vovisse, probat verbum *debeat.* ad totum hoc pertinent voces votivae. Haec ille: fatetur tamen *in*

lingua esse, quod offendat: nam non posse non statui, *persolvere voces votivas* dictum esse pro *persolvere, quod votum vocibus votivis.* Hoc modo vir doctus dum dumeta quae sibi videbantur, e cultis Tibulli arvis evellit, convellit vim verbi *votivus* et invenit, quod neque a Tibullo neque ab alio unquam scriptore dictum puto. Poeta dicit: succurre mihi, ut mea Delia v. v. pers. *sedeat* ante fores templi tui. Ovid. Trist. II. 1, 297.: Isidis aede sedens. Ep. ex Pont. I. 1, 52.: Isiacos ante sedere focos. Amor. III. 635.: cum sedeat Phariae sistris operata iuvencae (vid. Heins. ad Ovid. Am. II. 13, 17. et Kuinoel. ad Propert. II. 28, 45). Ergo haec sessio in his sacris solita et ritu praescripta erat. Ubi vero cantari laudes coeptae sunt, surgebant: nam stantes adorabant: Martial. XII. Ep. 29.: linigeri fugiunt calvi sistrataque turba Inter adorantes cum stetit Hermogenes. Verum est, non eodem tempore sedisse et stetisse Deliam: sed nihil impedit, quo minus, cum ante sedisset, postmodum staret. At modo, *lino*, inquit, *tecta* sedet: tum *resoluta comas* adstat: igitur modo capite adoperto, modo inoperto: observabis discrimen rerum. Video: sed verba *tecta lino* significant, linigeram fuisse Deliam, qualis turba linigerae deae erat. Velatos sacra peregisse, monuerunt viri docti ad locum Propertii supra laudatum, ad quem Dissenius provocat. At mulier Isidi operans in tabula Heracleensi (vid. Böttig. Sabinam tab. VII. p. 194) resolutas comas habet, coronam in capite gestat: velata non est. Veruntamen sederit Delia velata: quid hoc velum prohibuerit, quominus comae resolutae essent, non video. Quicquid est — nam nescio, num id velum adorantes de capite detraxerint nec ne — id quidem manifestum est: Summam voti, quod Delia pro salute amici susceperat, per partes persecutus poeta haec duo proponit, sessionem ante templi fores et hymnos bis die cantandos. Dicit enim: utque Delia comas resoluta bis die laudes dicere insignis in turba Pharia debeat. In his primum observanda est particula *que*, quae particula satis indicat, rem hoc disticho expositam arctiori quodam necessitatis vinculo iunctam esse cum iis, quae priori disticho explicata sunt: tum illud advertas oportet, supra *sedeat* dictum: hic *dicere debeat*: nimirum ritu sacrorum, bis enim laudes Isidis canendae erant (vid. Heyn. ad h. l.). Iam vero intelligitur, quae sint illae *voces votivae.* Etenim ea, quae his duobus distichis enarrantur, posita sunt, ut ita dicam, *ἐκ παραλλήλου.* Nam hi hymni decantandi cum praecipuam partem efficerent voti, poeta non *votum persolvens*, sed *votivas voces persolvens* dixit, et statim id ipsum explicaturus addit *bisque* die *laudes dicere debeat.* Si supra scripsisset *laudes*; sane haec putida forent et horrida: at infinite locutus *voces*, quales hae fuerint, dum aperit minime commisit id, quod Dissenius obiecit. Addita sunt etiam alia, quibus descriptio Deliae voto fungentis absolvitur. Nam in conspectum quasi producitur puella habitu Isiaco induta, sedens ante fores templi: tum vero turbam Isiacorum, ipsam in iis adstantem, resolutis comis ac venustate conspicuam videre et canoram eius vocem audire nobis videmur. Nove dictum fuerit illud *voces votivas persolvens*, sed consulto dictum est. Agnoscitur enim iam ex his verbis mirus lepor ac festiva iucunditas, qua totus is locus tinctus est. Erat sane Isis dea salutaris: multum valuerit in animo puellae amor erga amicum; multum superstitio: sed turba illa linigera famosa erat (conf.

Ovid. Am. I. 77. Iuven. Sat. VI. 488. IX. 22). Sed ne Deliam, quam puellam Tibullus quidem castam praedicat, quamvis fuerit levis ac facilis, criminari videar: totam hanc rem finxit poeta: ipse castam puellam immiscuit huic turbae nec maiores eam votorum molestias pro salute sua obire voluit, quam quae vocibus bis die edendis transigi possent. — v. 37. Apud Ovidium Am. II. 11, 1.: Prima malas docuit mirantibus aequoris undis pinus vias: apud Propert. II. 22, 32. bella Mycenaeae non timuere rates: hic *contemnit* pinus undas. Quis non videt, nautas esse, qui contemnant i. e. non timeant undas et *praecipitem Africum.* Sed ut poetico sermoni decus suum reddatur, tribuit Tibullus navi, quod nautae faciunt. Est id ornate ac venuste dictum, magnificentius autem et gravius, quam quod haec quidem poesis ferat, dictum non est. Nam etiam levibus elegis interdum assurgere et libet et licet. — v. 41. ensem Inmiti saevus duxerat arte faber. Ne mireris duo attributa similis significationis in unam artem fabrorum congesta, neve arbitreris *ensem — saevum* scribendum esse. Nam quamquam enses ipsi poetis saevi et immites vocantur, tamen hoc loco sollertiam, qua enses inventi sunt, magis etiam quam rem inventam detestatur poeta. Ira enses procudit, ut ait Horat. C. IV. 15, 19. Ovid. Am. III. 8, 45.: contra te sollers hominum natura fuisti Et nimium damnis ingeniosa tuis. — v. 50. Iure Dissenius *et* retinuit. Nam *vulnera* et *caedes* in unum genus conveniunt: sequuntur alia vitae discrimina eaque improvisa. Quod hic una voce *repente* significatur, Horatius pluribus verbis exposuit C. II. 13, 19.: quid quisque vitet, nunquam homini satis cautum est in horas: improvisa leti vis rapuit rapietque gentes. *Mare* intelligitur positum pro navigationis periculis. Sallust. reliqq. l. V. historr.: nam talem honorem bonus nemo volet, cum fortunae et *maris* et belli ab aliis acti ratio reddenda aut turpiter moriendum sit. Simili modo Horat. C. II. 13, 27.: dura navis mala. Vocabulum *mare* plenius sonat, quia in rebus funestis et exitiosis positum, ex his ipsis colorem trahit. Accedit, quod subsequitur vox *viae.* Certe in his verbis nihil est, quod offendat aut mutetur. — v. 51. *Parce, pater.* Verbis *parce, precor* nihil usitatius ac frequentius, velut Ovid. Met. II. 361 sq. Fast. II. 451. Horat. C. IV. 1. parce, precor, precor: at de hac re hic non agitur. Modo Iovem nominavit: huic igitur preces admovens dicit: parce, *pater.* Virgil. Georg. I. 353.: Ipse *pater* statuit cet. Horat. C. I. 12, 13. solitis *parentis* laudibus. — v. 51. *timidum* sunt, qui explicent religiosum, afferentes Ovid. Fast. VI. 260. (ingenium Numinis metuentius), Metam. V. 100. (Emathion aequi cultor timidusque deorum). Hoc loco deest quidem genitivus, sed ex iis, quibus iuncta est vox *timidus*, posset haud dubie intelligi *δεισιδαίμων*. Veruntamen res ipsa diligentius considerata docet, hunc poetae timorem alium fuisse: erat nimirum timidus ad mortem, ex cuius faucibus se Iovis ope ereptum vult. Recte igitur Wunderlichius interpretatur: in magno nunc quidem timore sum: nec tamen quod me periuria aut impia verba eorumque poenae luendae terreant. Atque profecte his verbis ipsis Tibullus satis declarat, se pium ac religiosum et esse et fuisse. — v. 53. *lapis inscriptus notis*, quae est varietas scripturae, conferri potest verbis Horatii: *non incisa notis marmora* (C. IV. 8, 13). At maioris momenti hoc loco sunt notae, quam lapis: inde illis, non

huic adiunctum est participium verbi *inscribere*. Ovid. Trist. III. 3, 72.: Quosque legat versus oculo properante viator Grandibus in tumuli marmore caede notis. Coniectura vel emendatione certe non opus est. — Paullo post Amor *tener* vocatur. Ovid. Am. III. 15, 1. Venerem dicit matrem tenerorum amorum, semet ipsum non uno loco iactat lusorem tenerorum amorum. at res perspicua est. — v. 58. Scriptura variat. in aliis libris legitur *ad*, in aliis *in*. Altera scriptura non damnanda esset, si altera non esset melior. Nam Tibullum a Venere ad Elysios campos deductum non ad limina mansurum fuisse, quisque intelligit. At altera scriptura multo est praestantior: quippe enim paullo infra Amor dicitur ipse praelia illa ludicra miscere. Ubi Amor adest, Venus non procul abest. Hanc poeta sibi ducem et comitem futuram et una secum hos campos tam amoenos et iucundos intraturam sperat. Firmatur praeterea haec scriptura Odysseae loco, quem Huschkius laudavit (V. 563). — v. 62. At iuvenum series teneris immixta puellis ludit et assidue praelia miscet Amor. *At* pro *hic*, quod Itali praebent, maluit repositum iam Heynius eique praeter alios suffragatus est Dissenius: nam commode opponi hoc distichon antecedentibus: pergere enim ad id, cuius causa antecedentia posita sint. Haec Dissenius. Veruntamen cum paullo infra, ubi loca his amoenitatibus contraria describuntur, eadem sit particula posita idque iure, quia oratio ad res inter se oppositas transfertur, equidem hoc loco malim scribi *Ac*, quod ad vestigia scripturae *hac* proxime accedit. Nam quamquam constat, particulae *at* vim adversativam saepe ita deliniri, ut nihil indicet, nisi ad aliud quid orationem traduci, tamen neminem non offendet, si utrique loco et huic, quo Elysium, et ei, quo sedes sceleratorum expingitur, eadem particula praefigatur. Duae enim picturae ante oculos positae sunt: altera Elysii; hic strepunt choreae cantusque, personat aer dulcissimis avium vocibus; terrae ubertas sponte ingentem copiam casiae et rosarum summittit: denique iuvenum et puellarum hilares laetaeque catervae iocantes ludentesque spectantur. Qua pictura absoluta addit, se quoque, si ita evenisset, ut praematura morte absumeretur, in his beatorum sedibus futurum. Tum sedem sceleratorum illosque terrores, quos acerbe ridet Lucilius (cf. Aetn. v. 75 sqq.) funestam caliginem, horrida flumina, Tisiphonen turbas impiorum agitantem, Cerberum prohibentem, ne quis fugiat, cruciatus Ixionis, Tityi, Tantali, Danaidum Homericis coloribus depingit: haec altera pictura est, cui subiicit: *Illic sit, quicunque meos violavit amores* cet. Manifestum est, quae inter se opposita sint. Itaque etiam si, id quod Dissenius monet, duo illa disticha *Hic choreae* cet. et *fert casiam* propter tertium posita sunt, tamen imagines unius eiusdemque picturae componi et arctissime coniungi debent. Quod si ita est, *ac*, non *at* scribendum est. Ceterum *immixta* germanam scripturam esse, vel ex sequenti voce *misceat* agnosci potest: miscendi enim proelia Amori copia facta est eo ipso, quod iuvenum series se puellis immiscebat. Firmatur etiam haec scriptura locis, quos ex Horatio et Propertio Huschkius attulit. — v. 69. *impexa feros pro crinibus angues.* Virgil. Georg. IV. 482.: Eumenides caeruleos *implexae* crinibus angues. Et *implexa* etiam hoc loco legendum censuit Fruterius: idque uno in codice esse, testantur Heynius et Huschkius. Cum *impexa* et *implexa* tam facile a librariis et potue-

rint confundi et confusae sint (cf. Gronovii diatrib. ad Stat. Sylv. II. 1. p. 170) auctoritate librorum sola neutra scriptura neque munitur neque evertitur: aliis ponderibus res examinanda est. Constructio orationis, sive *impexa* sive *implexa* legitur, eadem est: nec quemquam ea magis offendet, quam *incomta capillos*, *coronatus tempora*, *caput serpentibus vallata*, *religata comam*, *brevibus viperis crines implicata*, alia sexcenta id genus. Alteram autem scripturam eo dicunt praestare, quod si Tisiphone *impexa sit*, foeditas monstri augeatur: at huic rei satis consultum puto *anguineis crinibus* et attributo *feros*, ita ut hanc immanitatis et feritatis accessionem non admodum desiderem. Praeterea quemadmodum *impexa angues*, si ad consuetudinem loquendi traduxeris, sonabit *impexos angues habens*, ita *implexa angues* nihil aliud erit, nisi *implexos angues* habens: si angues implexi sunt i. e. verschlungen, untereinandergeschlungen, iam efficitur id, quod viri docti volunt, ut *impexa* sit Tisiphone. Itaque ne hoc quidem satis momenti habet ad damnandam scripturam *implexa*. In altera scriptura *impexa feros pro crinibus angues* male me habet omissum participium verbi *esse*. Non ignoro quidem, veteres scriptores in hac ellipsi interdum audaciores fuisse; sed hoc loco quam horridam illa et impolitam orationem reddat, nemo facile erit quin sentiat. Exprimam latina patrio sermone, et quidem verbum ex verbo »sie hat sich Schlangen statt der Haare nicht gekämmt. Mire sane dictum pro *impexa* angues, qui ei pro crinibus sunt. At si legitur *implexa*, haec quidem offensio submovetur: vertam: sie hat sich Schlangen statt der Haare untereinandergeschlungen. Hanc scripturam quominus alteri anteponam, unum est, quod me cohibeat. Reperitur quidem *implexus* non addito dativo rei, cui quid implexum sit, velut *series causarum implexa*, *manus implexae*, sed plerumque tamen, id quod natura huius verbi postulat, aut *dativus* ponitur, velut apud Virgilium loco supra laudato *crinibus*, aut adiiciuntur verba *inter se*. Fortasse hic scrupulus nullus est. *Crinibus* autem Tibullo scribere non licuit, cui Tisiphonam *anguibus crinitam* facere placuisset. — v. 77. *et circum stagna* i. e. ut recte Dissenius explicat *et (sunt) circum eum stagna*: haec scriptura et loco Homerico (Od. XI. 583) et verbis Lucilii, quae Heynius laudavit, ab irrito emendandi conatu defenditur.

Eleg. IV. v. 12. Hic placidam niveo pectore pellit aquam. Cave, ne putes, omissum esse *quod*: haec foret magna orationis componendae imperitia, cuius Tibullus argui nequit; quemadmodum paullo infra post verba *hic*, *quia — adest*, *cepit* sequuntur *at illi stat*; ita hoc loco dixit, *hic placidam niveo ... pellit*: quibus verbis adde *et propterea placet vel cepit*. — v. 22. et freta summa ferunt. Virgil. Aen. VII. 809.: intactae segetis per summa volare Gramina nec teneras cursu laesisset aristas. Georg. III. 194.: ac per aperta volans ceu liber habenis aequora vix summa vestigia ponat arena. atque haec quidem omnia commode ac venuste dicta sunt ad depingendam cursus velocitatem. Ovid. Am. II. 8, 20.: tu iubeas animi periuria puri Carpathium rapidos per mare ferre Notos. Apud Tibullum periuria dum per summas terras ac summa freta feruntur — fallitur enim Huschkius, cum *summa* dicit valere *extrema* — paleis illa videntur similia esse, quae turbatae volant rapidis ludibria ventis. Dissenius qui-

dem levissimi et rapidissimi cursus imaginem voce *summa* expressam vult: at cum periuria non currant, sed ferantur, si tam celeriter ac rapide ferantur, certe necesse est, ea esse levia et nullius ponderis. Itaque Dissenii sententia diligentius examinata, non tantum, quantum ipsi visum est, a Vulpiana et Golberyana interpretatione distat. Illud autem notissimum est, perfidiam amantium cum pluma aut cortice comparari (vid. Mitscherl. ad Horat. C. III. 9, 22): quae res aquae impositae non submerguntur, sed in summa aqua fluitant. Hac igitur similitudine scriptura *summa* probatur: erant tamen, quibus ea displiceret, sed iniuria. — v. 23. Necessario legendum est *ipse*: quae scriptura tam certa atque firma est, ut mirari liceat, quemadmodum in disceptationem vocari potuerit. — v. 25 sq. perque suas impune sinit Dictynna sagittas Affirmes crines perque Minerva suos. Per crines Minervae iurare, novum esse, omnes viri docti viderunt. Suspiciones novitate rei ortas ut dispelleret, operam dedit Brouckhusius: eius signa cunctantius tamen secutus est Heynius. Ad stabiliendam autem scripturam vulgatam usi sunt testimoniis Servii (ad Virgil. Aen. VI. 287) et Ttetzae (ad Lycophr. v. 838). Verum ex altero loco nihil disces, nisi spretae iniuriam formae ne hanc quidem deam lento animo tulisse: ex altero noscimus, Medusam cum Minerva de pulchritudinis praestantia contendisse (cf. Ovid. Met. IV. 795). At sunt alii testes: laudatur Homerus, qui deam appellaverit ἠΰκομον εὐπλόκαμον; Callimachus, qui (hymn. in lavacr. Pall. v. 31) deae tribuerit λιπαρὸν πλόκαμον: citantur latini poetae, quibus flava dicta sit (vide Burm. ad Anthol. vet. lat. Tom. II. 510). Atque his locis quid tandem efficitur? Minervae comas pulchras fuisse: at eadem laude gloriari poterant Iuno, Latona, Musae, Briseis, Helena et sexcentae formosae mulieres. Illud autem dubium esse vix potest, quin, si iure iurando aliquid obtestamur, id necesse sit in numero esse earum rerum, quae animum humanum timore, metu, religione percellant. Iure igitur Santenius mihi quidem videtur negare, quamvis pulchri capilli Minervae fuerint, id ad hunc Tibulli locum quidquam facere. Nam in iurando, inquit, ut maiorem fidem faciamus, illud attestamur, quo si fallimus, praesentissimas periurii poenas sumat numen: Dianae non crura, Apollinis non crines aut lyram, sed utriusque arcum et sagittas. Haec argumentatio ipsa per se plana, perspicua, probabilis, egregie firmatur etiam iis, quae apud Iuvenalem (Sat. XIII. v. 78 sqq.) leguntur. Itaque vir doctus expulsa scriptura vulgata reposuit de coniectura *clipeos*; hos Mitscherlichius mutavit in *cristas*: Heinrichius autem cum his duumviris in re consentiens, ut scripturae *crines* opem ferret, hoc vocabulo *cristam* significari asseveravit, sed neque loco Homerico (Il. XXII. 315) neque verbis Statii (Theb. VIII. 389) id probari potest. His igitur opinionibus repudiatis Dissenius Brouckhusii sententiam amplexus pro vulgata scriptura acriter propugnat. Iuratur, inquit, per id, quod utrique deae carissimum; quo contemto maxime irascitur quaeque: sitne ea corporis pars an telum, quid refert? poena ut eo ipso sumatur, per quod peieratum, non opus est. Haec ille: verum enim vero nec demonstratum est neque demonstrari potest, *crines suos* Minervae *carissimos* fuisse, nisi forte quis putat, placuisse suos crines Minervae tantopere propterea, quia crines capere noluerit: sed, ut dixi, Disseniana huius loci interpretandi ratio admodum lubrica est et infirma. At

quid legendum? Nobilitata est poetarum fabulis *aegis* Minervae: etiam *currus*, de quo adversus Gigantes pugnavit, a poetis silentio non praetermissus est. Horat. C. I. 15, 9.: iam galeam Pallas et aegida currusque et rabiem parat. Ovid. VI. Metam. 78.: at sibi dat clypeum, dat acutae cuspidis hastam: dat galeam capiti: defenditur aegide pectus. Inclyta erat *hasta* quoque: et potuisset haec quidem commode cum Dianae sagittis componi: Iuvenal. l. l.: *iurat, per calamos venatricis pharetramque Puellae: addit et Herculeos arcus hastamque Minervae. Galeam* autem Minervae imprimis poetis laudari, iam ex iis locis videre licet, quos modo attulimus: quibus multi addi possunt. Erat enim in veterum armatura galea primario loco: maximum eius ornamentum *crista*: saepe etiam ad terrorem hostibus incutiendum varias animalium formas galeae appositas fuisse, docuit iam Stewech. ad Veget. p. 51 sq. Nobilissima autem praeter Orci galeam haud dubie erat Minervae galea: testis est Homerus, Il. V. 743.: *κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον, χρυσείην, ἑκατον πόλεων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν.* testis etiam Lucian. Dial. Deor. Tom. I. p. 261. *τί οὖν οὐχὶ καὶ σὺ Ἀθηνᾶ τὸν κόρυν ἀφελοῦσα ψιλὴν τὴν κεφαλὴν ἐπιδεικνύεις, ἀλλ' ἐπισείεις τὸν λόφον καὶ τὸν δικαστὴν φοβεῖς ἢ δέδιας μή σοι ἐλέγχηται τὸ γλαυκὸν τῶν ὀμμάτων ἄνευ τοῦ φοβεροῦ βλεπόμενον.* Atque Pausanias Attic. L. I. 24, 5. de Minervae statua in Parthenone: *αὐτὸ δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ πεποίηται. μέσῳ μὲν οὖν ἐπίκειταί οἱ τῷ κράνει Σφιγγὸς εἰκὼν ... καθ' ἑκάτερον δὲ τοῦ κράνους γρῦπές εἰσιν ἐπειργασμένοι.* Quid? si Tibullus huius signi memor pro galea seu crista *gryphas* posuit? Nam galeam illam formidolosam commode sagittis Dianae coniungi posse, nemo facile negaverit. Itaque legendum puto: Affirmes: gryphes (vel, si malis, *gryphas*) perque Minerva suos: quod vocabulum librariis ignoratum facile depravari et in *crines* mutari poterat. Dianam autem et Minervam potissimum poeta nominavit, quia utraque virago castitate eximia erat; de qua re iam Vossius et Wunderlichius monuerunt. — v. 27. *transiet aetas. Quam cito non segnis ... dies!* Ita Lachmannus, auctoritate librorum, ut videtur, permotus: ceteri, quos ego sciam, *transiit aetas quam cito! non segnis stat remeatve dies.* De forma verbi *transiet* nihil ausim contendere: res est admodum dubia: potest enim quaeri, num omnino hae obsoletae formae verborum scriptis Tibulli, Horatii, aliorumque aureae, quam dicunt, aetatis poetarum expellendae sint (confer. Ruddimann. institt. grammatt. Tom. I. p. 281), an retinendae potius ac servandae. nam raritas ipsa per se non vitiosa est nec absurdum erit putare, placuisse interdum poetis ea, quae quotidianus sermo refugerit. Equidem utique in hoc genere testimoniis veterum grammaticorum et librorum auctoritati plurimum tribuendum iudico: superstitio tamen in nulla re laudanda aut defendenda est. Viri docti *transiet* mutari volunt in *transiit*; haec mutatio una litera conficitur: nulla igitur causa est, cur pervicacius adverseris. Quemadmodum vero voces *quam cito* cum verbis *non segnis stat* coeant, id nullo pacto intelligi potest; nam *non segnis stat* valet certe non *moveri* vel ire, sed *celerius ire*. Monstrose igitur dictum foret: *quam cito celerius it remeatque*: hoc monstrum tollitur sana distinguendi ratione, qua qui utuntur, faciunt, ut voces *quam cito* iungantur cum verbis *transiit aetas*: cui interpunctioni non obstat, quod sub-

sequentes versus incipiunt ab iisdem verbis *quam cito*: nam etiam in hoc versu, de quo nunc agitur, haec ipsa verba primum pedem obtinent: ordo autem verborum *transiit aetas quam cito* ipso horum verborum pondere constitutus est. Quae est varia scriptura *it*, ei si esset fides habenda, posset sane interpungi, ut nonnulli voluerunt: transiet aetas. Quam cito non segnis it remeatque dies: at huius scripturae fides vacillat vel potius iacet. *Stat* egregie oppositum est verbo *transiit* et cum delectu videtur a poeta positum esse. Horat. C. III. 28, 6.: ac veluti stet volucris dies Parcis deripere horreo Cessantem ... amphoram. Veruntamen consideremus paullo diligentius haec ipsa verba: *non segnis stat remeatque dies.* Sententia videtur plana esse et expedita: attamen mihi accidit nescio quo modo, ut cum accuratius eam examinassem, dubitarem, haererem. Manifestum est, voces *non segnis* non modo cum verbo *stat*, sed etiam cum verbo *remeat* copulandas esse: verte: nicht als ein träger steht und kehrt zurück, i. e. non segniter stat remeatque dies. Recte, inquit, si non segniter stat, celeriter it; si non segniter remeat, celeriter remeat. Belle! quid valeat *dies it*, probe scio: intelligo etiam, cum lego: Sol itque reditque aut Horatianum illud: truditur dies die novaeque pergunt interire lunae cet. (C. II. 18, 15): at *it reditque seu remeatque dies*: quid istuc? Nempe alius, inquit. At scriptum est: *non segnis stat remeatque dies*: sentisne, unum eundemque diem dici non segnem stare et remeare? Immo *dies* hoc loco *tempus* significat. Concedam idque non invitus: sed haesito tamen, nam tempus non magis remeat, quam flumen. Virgil. Georg. II. 284.: fugit irreparabile tempus. Ovid. Art. Amat. III. 62: eunt anni more fluentis aquae Nec quae praeteriit iterum revocabitur unda, Nec quae praeteriit, hora redire potest. Utendum est aetate: cito pede labitur aetas. Dicam, quid mihi in mentem venerit: legendum mihi videtur: At si tardus eris, errabis: transiit aetas Quam cito! non segni stat remeatve dies. »Nicht bleibt für den Säumigen (Lässigen) stehen oder kehrt zurück der Tag«. Literam *s* ex sequenti voce *stat* male appictam voci *segnis* sustuli: *ve* pro *que* reposuit iam Heinsius; et sexcenties has voces a librariis commutatas esse, constat. Ipsa sententia quam sit iis, quae modo exposita sunt, consentanea, non opus est docere. — Paullo infra (v. 30) *alba*, non *alta* legendum: res iis, quae viri docti de hoc loco disseruerunt, transacta est. — v. 32. *Qui prior Eleo [est] carcere missus equus.* Praestitisse hunc equum pernicitate atque viribus, intelligitur ex eo, quod ad Olympica certamina missus est. Horatius (Carm. II. 16, 35) equam praestantiorem dicit *aptam quadrigis.* Non posse vocem *prior* cum verbo *missus* coniungi, manifestum est: nam *prior discessi*, *abii*, *profectus*, *missus sum* significat *früher*, sc. quam alius vel alii: quod hoc loco absurdum foret (vide Brouckhus. ad h. l.). Neque *praestantior*, *potior*, *melior* est *prior*, ut recte Heynius contra Vulpium monuit: opus esset adjecto ablativo rei, cuius natura vim illius vocis immutatam indicaret, ut *sanguine*, *viribus*, *laude.* Intelligitur porro *senecta* oppositum esse *prior*. Quicquid igitur dicit Dissenius, cuius diligentiam in interpretanda hac voce vehementer desidero, *prior* non quidem pro *prius* aut *olim* positum est, sed, arctissime copulatum cum pronomine *qui*, fere participii locum tenet: »welches als ein früheres i. e. jüngeres geschickt worden ist«.

Simili modo Ovid. A. A. II. 218., quem locum Huschkius laudavit; *qui meruit caelum, quod prior ipse tulit.* Senec. Troad. 719.: Vidit pueri regis lacrimas Et Troja prior. Res et animantes plerumque inter se aetate ac temporibus comparantur: quidni vita eiusdem rei et animantis suis aetatibus distingui possit? Paullo insolentius hoc loco dictum esse *prior* nemo negaverit: est tamen ita dictum, ut quamvis nostra loquendi consuetudo reluctetur, sermo veterum, praesertim poesis, hanc insolentiam ferat. — v. 43. Quamvis praetexens picea ferrugine caelum Venturam admittat imbrifer arcus aquam. Arcus imbrifer, quem Lucret. VI. 523. nubibus ait existere nigris, apud Tibullum praetexit coelum picea ferrugine sive piceis nubibus (cf. Ovid. Metam. XI. 548) et venturam aquam sive pluviam admittit. Quoniam arcus in signis venturae pluviae numeratur (conf. Virg. Georg. I. 380. Senec. Nat. Quaest. l. I. cp. 6) iunctumque est *admittat* cum voce *venturam*, nonnulli interpretes eo delapsi sunt, ut dicerent, *admittat* significare *portendat* seu *praenuntiet.* Hoc vanum commentum pridem explosum est. *Admittere* enim valet hinzulassen, zulassen, freilassen: igitur potestatem facere liberi accessus, gressus, cursus; velut *admittere equum* i. e. dem Pferde freien Lauf lassen, quod fit remissis habenis: admissus equus subdito etiam calcari concitatur. Parum igitur accurate faciunt, qui *admittere* explicant *concitare.* Quodsi *venturam admittat aquam* germana scriptura est, haec verba significant, arcum facere, ut aqua nubibus collecta et iamiam casura effundatur. Nam, ut ait Heynius, ubi primum iris conspicitur, largiores imbres cadere solent. Quod veteres opinati sunt, arcum aquam bibere et nubibus alimenta afferre, certe ad haec verba, in quibus explicandis versamur, nihil pertinet. *Aquam* nullo attributo interdum pro *pluvia* poni, notum est (vide Mitscherl. ad Horat. C. III. 17, 12). In versu elegico offendit brevis syllaba in tertia arsi: quae numerorum negligentia a nonnullis excusatur: ab aliis Tibullo indigna existimatur (vid. Dissen. ad h. l.). Heinsii coniectura *nimbifer* haud spernenda est: sed reticeri non debet, *nubes* plerumque *nimbiferas* dici: arcum autem *pluvium* vel *imbriferum*, quod posteriores quoque poetae servarunt; vid. Rutil. Itiner. I. 98. Mihi cum haec labes, tum compositio totius loci nonnihil laborans suspicionem iniecit. Praecipit Priapus Tibullo, ut ne recuset comitari puerum, quamvis longa via paretur: tum addit ea, quibus molestia huius viae augetur, aestum et imbres imminentes. Iam licet mirari, alteram imaginem, qua ingruens tempestas describitur, tam diligenter depictam esse, ut totum distichon expleat. Deinde cum utraque imago ad expingendam viae molestiam posita sit, altera quidem iuncta tenetur copula *et*, altera praepositam habet coniunctionem *quamvis*, copulativa autem particula caret; quo efficitur, ut non pars unius eiusdemque picturae esse, sed ipsa per se collocata videatur. At, inquies, magna cum vi repetita est coniunctio *quamvis.* Sentio, sed doleo turbatam partium compositionem. Verum esto istud quidem. Suspectum autem mihi manet nescio quo pacto verbum *admittat*: nec libri in eo sibi constant: nam in nonnullis legitur *amiciat.* Si scriptum esset: Quamvis praetexat picea ferrugine coelum Venturam minitans imbrifer arcus aquam, omnia essent plana: sed quid iuvat optare? Videant peritiores. — v. 45. *caeruleas* has undas dixit Tibullus, ut mare intelligeretur; poetis enim

etiam fontium et amnium aquae *undae* vocantur. — v. 47. Nec te poeniteat duros subiisse labores aut *opera* insuetas atteruisse manus. Ita ediderunt Lachmannus et Dissenius: Heynius autem *operi*, Huschkius *opere*. Est haec varietas scripturae. ac Dissenius quidem non librorum auctoritate, quae, cum toties *opera*, *operi*, *opere* a librariis commutata sint, certe est exigua, sed nescio qua elegantia mutati subiecti commotus scripturam *opera* multo ait potiorem esse. Equidem non video, quid boni et commodi habeat haec subiecti mutatio, nec veterum cuiquam unquam credo in mentem venisse, Tibullum hoc loco istas orationis veneres sectatum esse. Lachmannus laudavit Virgil. Georg. I. 277. II. 472.: sed quid novi ex his locis disci, aut quid illi ad confirmandam scripturam *opera* prosint, non intelligo. Mihi ordo verborum videtur postulare, ut idem subiectum obtineatur. Verba poetae sunt haec: nec *te* poeniteat, *subiisse* ... *aut* i. e., ut nostro more explicem, *aut etiam*: nam progreditur oratio ad aliquid maius (cf. Hand. de partic. Tom. I. p. 537) manus attrivisse *opere* antea insuetas: cuius vocabuli vis satis definitur voce proxime collocata *opere*. Veruntamen ordo verborum ipse videtur suadere, ut *operi* legatur, praesertim cum verbum *atterere* sua ipsius vi ac pondere stet. — v. 55. Lachmannus maluit scribi, ne repetitio imperfecta esset, *apta dabit* pro *rapta dabit*. Vidit vir doctissimus, non potuisse hoc loco *rapta dabit* poni, si superiore loco scriptum esset *apta dabit*: quod enim Dissenius dicit, totam pentametri sententiam *pugnabit, sed tamen dabit* hoc modo repeti, aut iocatur aut aliud egit. Illud autem idem recte monuit, non quadrare *apta* subsequenti *offeret*. Mihi persuasum est, etiam in versu quinquagesimo quarto scribendum esse: *rapta dabit*: dixerat poeta, *rapias tum* cara licebit oscula: addit pugnaturum quidem puerum esse, sed daturum tamen oscula, etiamsi haec oscula rapta sint, i. e. ihm in Eile genommene vel geraubte: denique cum vi haec eadem verba repetens ait: *rapta dabit primo*. *Apta*, dum pugnat, oscula non sunt: apta enim oscula sunt flagrantia et plena lasciviae: ad hunc furorem puer paullatim, postquam crevit insania, delabitur. Hoc modo egregie verba *oscula rapta dabit* opponuntur iis, quae subsequuntur, *post etiam collo se implicuisse volet*: his demum temporibus *apta* oscula conveniunt. Heynius et Dissenius cum *apta* explicant, *quae ore non nimium detrectante dentur*, rem nimis extenuant; multo melius Löhrs. ad Ovid. Heroid. XV. 130. Ceterum confer. Horat. II. 12, 26 sqq. — v. 57. *Heu male nunc artes miseras haec secula tractant*: *iam tener assuevit munera velle puer*. Altero versu reprehenditur largitio eorum, qui puerorum animos donis capiunt, altero avaritia puerorum his largitionibus nata et enutrita. Itaque *hae artes miserae* sunt novae viae ad captandam Venerem repertae. *miserae* vocantur i. e. beklagenswerthe vel armselige. *male*, quae quidem nunc est verborum iunctura, non *valde* significat, sed proprie explicandum est auf eine üble Weise i. e. zum Unheil. Haec omnia plana sunt: sed *nunc* sequente *haec* offendit. Dissenius, intellige, inquit, cum antea meliora essent haec secula, recentiori tempore prava facta sunt. At *haec* secula *antea* meliora esse non poterant, quia *haec* secula *antea* omnino non fuerunt. Equidem distinguendum puto: Heu male nunc! artes miseras haec secula tractant: Iam tener cet. *Heu male*

nunc est, exclamat Priapus: nam artes miseras haec secula tractant. *miseras* addit animi dolore et istarum artium contemtione permotus. *male est*, velut apud Horatium (II. 10, 17): non si male nunc, et olim sic erit. — v. 65. dum robora tellus — dum vehet amnis aquas. mirum zeugma! comparari tamen potest *vehere*, quatenus ad *robora* et *terram* referatur, cum graeco ὀχεῖν. — v. 69. *tercentenas erroribus explent urbes.* Quam interpretandi rationem Heynius ingressus est (vid. eius annot. ad h. l.), ea est una verissima. Id ipso verborum ordine probatur. Proprie numerus expletur aut mensura alicuius spatii, ut viae, orbis. Errores horum hominum vult trecentos esse: hunc igitur numerum erroribus suis expleant. at huic numero consociata est imago peragrandi spatii, quod hoc loco *urbibus* designatur. Tales locutiones, qualis haec Tibulliana est, nascuntur celeritate ingenii varias ac diversas res una imagine complectentis: quas res prosa oratio disponit et explicat, poesis saepe contrahit et coniungit. Ex Porsoni docta illa, quae Huschkio laudatur, annotatione ad Eurip. Orest. v. 54. quid hic locus lucri faciat, tute ipse videris. — v. 71. Iure Lachmannus et Dissenius locum ab omni emendandi mutandique temeritate defenderunt. Ita sunt omnia integra, sana, venusta. Recte etiam paullo infra v. 81. iidem viri docti vulgatam scripturam *quam lento Marathum* repudiarunt. Solent sane plerumque nomina propria aut pronomina ita collocari, ut non aliud vocabulum interseratur: at in toto hoc genere regnat ratio; hac et pondera rerum examinanda et ordo verborum constituendus est. Veteres rationem, non caeca praecepta secuti sunt. Necessario hic scribendum erat *Marathus lento*, quia huius hominis mentio nondum facta est. Qua ratione Huschkius inductus sit, ut diceret, particulam *quam* inseparabilem esse ab adiectivo *lento*, non perspicio: nec difficile est, eum refellere.

Eleg. V. v. 1. *loquebar.* Est, inquit Dissenius, loqui proprium magniloquentiae verbum. At *loqui* valet et hoc et multis aliis locis *im Munde führen, etwas zum Gegenstande des Sprechens machen*, velut reges et tetrarchas, omnia magna (Horat. Serm. I. 3, 12), proelia coniugibus loquenda (Id. C. IV. 4, 68), aurum et argentum, leges et iura loqui. Ex ipsa re atque persona loquentis agnoscitur, num id fiat cum iactatione et gloria. Egregie autem servit ei significationi, quae hoc loco huic verbo subest, imperfectum *loquebar.* Simili modo etiam infra *dicor* (v. 10) interpretantur *constat*: cur tandem? Si quem alii dicunt aliquid egisse, necesse est, id, quod alii suis sermonibus differant, iis in notitiam venisse; inde intelligitur, rem non occultam et abditam latuisse. Habet igitur *dicor* et hic et alibi vim propriam ac suam, mich sagt vel nennt man als den, der cet. Verum haec et horum similia tetigisse satis erit, ut appareat, quam saepe interpretatione parum accurata verborum significationes obscurentur aut pervertantur. — v. 3. Hic contra omnium librorum auctoritatem scribitur *turben*: tanti ponderis est unius grammatici, Charisii, testimonium: quamquam hic ipse testis formam *turben* damnat. Est illa obsoleta quidem (vide Schneider. Gramm. Tom. I. p. 130), sed iccirco improbari nequit. Causam tamen, quamobrem Tibullo haec vetusta verbi forma placuerit, equidem nullam invenio: pugnat auctoritas librorum, quos nos habemus, cum auctoritate Charisii: haec ipsa quam firma et munita sit, non liquet. ex

his quid consequatur, quisque facile intelligit. — v. 11. *Ipseque te*: ita Lachmannus et Dissenius: Heynius contra et Huschkius *ipseque ter* legendum censuerunt. Quam scripturam Heynius aberrationem librariorum nominat, ei patrocinatus est Scaliger, idque non iniuria. Est sane altera scriptura ipsa quidem proba et possit non uno nomine defendi. Perspicuitati enim orationis multum abest ut omissum pronomen officiat, cum verbis *Te dicor eripuisse* nihil relinquatur, quod obscurum aut ambiguum sit. Pari modo in subsequentibus distichis *tibi* et *pro te* omissa sunt, quin nos ulla intelligendi difficultas teneat. Praeterea compertum habemus, in sacris et caerimoniis describendis diligentissimos veteres fuisse. Ovid. Metam. VII. 262.: terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat. Vide omnino de religione numeri ternarii Obbarium ad Horat. Epist. I. 1, 37. Verum enim vero scriptura *te* codicum auctoritate firmatur et anteponenda est alteri propterea, quia consociatio pronominum *ipse te* sensum movet mollissimae caritatis, qua Delia et Tibullus tunc vincti tenebantur, ideoque rei maxime consentanea est. Adde etiam, quod vox *circum* requirere aliquid videtur, quo definiatur. — v. 20. fingebam demens, sed renuente deo. *demens* adiectum est pronomini *ego*, quod est in verbo *fingebam*. Poeta dolore et ira commotus, erat, inquit, dementia, haec fingere: fingebam tamen, sed dii renuerunt i. e. sed frustra. Coniunctio *sed* suum locum tenet: qui eam suspectam habent, fluctus mihi videntur in simpulo excitare. — v. 25. *consuescet numerare pecus: consuescet amantis Garrulus in dominae ludere verna sinu.* Consulto, inquit Dissenius, subiectum mutavit. Consulto? immo est naevus: quales vel praestantissimis corporibus solent inspersi esse. Nam stultum est, omnia mirari in veterum scriptis, laudare, extollere, quasi omnia sint in iis perfecta et consummata. Equidem, cum verbis *consuescet numerare pecus* non additum sit pronomen, quod *vernae* opponatur; repetitum etiam sit verbum *consuescet*, omissa denique particula copulativa, adduci non possum, ut hanc subiecti mutationem pulcram aut nervosam iudicem. Non haerebimus in explicandis verbis: nam nota sunt omnia nec quidquam inest ambigui: sed structura orationis neglecta est: id excusari potest, laudari non potest. Ceterum suavissima est imago, qua Tibullus Deliam depingit omnia officia et munia sedulae matris familias obituram: ad ostentandam herae comitatem, hoc verna puerulo, qui sine ulla timiditate in gremio Deliae ludit, nihil certe dulcius aut iucundius fingi potuit. — v. 30. Scripturam *adiuvet* reiiciendam esse, apparet. Etiam *at* offendit: et displicuit Heynio, Huschkio, Dissenio. Nam si Delia omnia curet, cunctos regat, sequitur, ut Tibullus velit tota domo nihil esse. Itaque *et*, non *at* requiritur. Potest tamen, ni fallor, *at* defendi, quin ordo verborum mutandus sit (conf. Dissen. ad h. l.). Etenim in utroque versu pronomina, in altero *illa*, in altero *me* primas partes tenent; quae his apta sunt, praedicati vice funguntur. Quemadmodum vero pronomina inter se opposita sunt, sic etiam ea, quae de his praedicantur, possunt opponi, ita ut nihil impediat, quominus particula *at* initio versus elegici collocetur. Verborum autem collocatio digna est, in quam intuearis, ut cognoscas, quanta sint diligentia omnia verborum pondera examinata. Illud autem vix opus est, monere, *me nihil* copulata esse, *iuvet* absolute positum. — v. 32. Husch-

kius *detrahet*, Lachmannus et Dissenius *detrahat* legi maluerunt: huic scripturae Heynius quoque (in annotatt.) suffragatur, quia idem modus paullo infra positus sit. Res est facile expedienda. *Veniet, cui detrahat*, valet aut *veniet, ut ei detr.* (in der Absicht, dass sie ihm) aut *veniet is, cui* detr. (als ein solcher, dem sie pflücken muss, soll, darf): quorum neutrum huic loco convenit. Sin relativum *cui* explicatur *eique*, haud dubium est, quin et indicativus et coniunctivus poni possit. Et coniunctivus quidem explicandus erit ita, ut vim assumat optativi: quo fit, ut proxime ad futuri naturam aspiret. Veruntamen futuro *detrahet* magis declaratur, non dubitare poetam, quin Delia ultro et sua sponte Messalam de amico optime meritum amicissime exceptura sit: quod multo sane est et urbanius et venustius. Praeterea in hoc loco, de quo nunc agitur, coniunctivus cum relativo iunctus habet aliquid ambiguitatis: quae in verbis sequentibus *et tantum venerata — curet — gerat* nulla est. — v. 32. *Et tantum venerata virum hunc sedula curet, Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.* Offensionem ecthlipsis neglectae exempla admissi hiatus, quae Huschkius et Dissenius attulerunt, quaeque apud Horatium (Serm. II. 2, 28) et Iuvenalem (Sat. IX. 118) reperiuntur (conf. omnino Herm. Element. doctr. metr. p. 62), non amoliuntur. Vehementer etiam displicet pronomen *hunc* illatum post verba *tantum — virum.* Brouckhusium opinatum, *huic* reponendum esse, summo iure refutavit Heynius, qui male quidem interpunxit, sed recte sensit, nitorem omnem abesse et ipsam sermonis rationem. Nec tamen iccirco damnandum est hoc distichon, ut Heynius et Santenius fecerunt. Nam excepta illa labe neque habet quidquam, quod reprehendas et est ad absolvendam totius descriptionis iucunditatem maxime necessarium (vid. Dissen. ad h. l.). At pronomen, inquit, cum magna vi repetitum est. O inutilem hanc pronominis repetitionem, qua structura orationis pereat! Sin autem quis erit, qui dissipatam orationem, qualis haec est, *Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,* in elegantiis ponat, id ei non invidebo. Equidem non dubito spretam et desertam opinionem amplecti Ayrmanni, qui pro *hunc* legendum censuit *tunc*; quod multum abest, ut langueat, dummodo altero quoque loco ponatur *tunc* pro *huic.* Fortasse igitur legendum est: *Et tantum venerata virum tunc sedula curet, Tunc paret atque epulas ipsa ministra gerat. Huic, hunc, nunc, tunc* saepe inter se commutata esse, nemo ignorat. Commode autem legi utroque loco *tunc*, colligi potest etiam ex iis, quae sequuntur: *Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque.* Dativus ante *paret* non requiritur, cum *curet — paret* et *gerat* arctissimo constructionis vinculo cum verbo *venerata* i. e. venerans, iuncta sint. Praeterea *huic* vix iungi poterit cum *geret*, nisi explicaveris illud »ihm zu Ehren«. *Curare*, inquit Dissenius, est verbum mensae et convivii; multo melius Heynius, qui illud ad omne officium ait referri, quo hospites excipiantur. Veruntamen hae verbi *curare* interpretationes parum subtiles sunt: docte eius vim enucleavit Doederlin. Synonym. Tom. IV p. 418. Verbi *curare* significatio propria est una et eadem, sed iis, quibus iunctum est verbis, varie coloratur. Re ipsa apparet, quae et qualis *cura* sit: alio modo cutem curari, alio modo morbum. Paullo infra *gerat* explicant *afferat.* At *afferre epulas* quaevis ancilla potuisset: istud autem *gerere*

epulas iucundam excitat imaginem herae hoc ministerio fungentis. — v. 37. *Iactat odoratos vota per Armenios.* Ex Plinio (Nat. Hist. XII. 28) discimus, amomum etiam in ea Armeniae parte, quae Otene vocata est, et in Media et in Ponto nasci. Praestantissimum id amomum fuisse, ex Plinii verbis colligi nequit (vid. Voss. ad Virg. Eclog. IV. 25). Heynius dubitans, num poeta hoc tam accurate tenuerit, Armenios arbitratur nominatos esse pro aliis Orientis populis traductumque ad eos ab Arabibus et Syris epitheton *odoratos.* Ac solent sane poetae pro genere partem aliquam reponere, sed prudenter et cum delectu, velut cum gravissimos hostes Romanorum intelligi volunt, Gallos aut Parthos nominant, si remotissimas gentes, Seres, Indos, Britannos; si barbaros fines romani imperii incursionibus vexantes, Dacos, Gelonos, Sarmatas; si maria procellosa Syrtes, fretum Siculum, Hadriam, mare Carpathium; si altos montes, Alpes, Niphaten, Caucasum cet.; denique eligunt ea, quae in eo ipso genere excellunt. Armeniae nives et glacies (Horat. C. II. 9, 5. Claud. in Ruf. II. 25), opulentia (Prisc. Perieg. v. 928), equi (Strab. C. XI. p. 526 et 530) a scriptoribus commemorantur: *odores* eius praeter Tibullum quis laudaverit, nescio. Assyrii contra odores certatim laudantur (cf. Catull. ep. 68. Senec. Hippolyt. Act. II. 393. Martial. VIII. 77. (si sapis Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat et cingat florea serta caput). Dissenius ut demonstret, quam apte adiectum sit epitheton *odoratos*, affirmat, eo effici, ut longinquitatis imago legentibus suboriatur. At ea nascitur ipso nomine Armeniae: hoc nomen cum audiverunt, statim terram procul Italia sitam intellexerunt. Nam Armenia postquam Antonii armis occupata, tum ingruente Parthorum vi amissa est, haud dubie Romae omnium sermonibus agitabatur. Per odoratos igitur Armenios vota Tibulli iactantur: haec iactatio certe non iniucunda erat, affluente omni *copia narium*: alii poetae irrita vota in mare ferri aut in ventos disiici faciunt. Num haec vota per illos odores iactantur, ut intelligantur intermortua et foliis ac pulvere amomi condienda, tanquam funera? (conf. Ovid. Trist. III. 3, 69. Ep. ex Ponto I. 8, 52. Iuven. Sat. IV. 109). Immo hi odores non minus, atque ostrum ac purpura, poetae invisi ad luxuriam divitum pertinebant: ac dives amator eum sinu Deliae deiecerat. Quo autem iure Horatius *Indica* unguenta, *Syram* mercem, costum *Achaemenium*, eodem iure Tibullus odores per Armeniam Italiae importatos *Armenios* vocavit. Propert. IV. 3, 64. raptave odorato carbasa lina duci; dicit autem Parthorum ducem. Ceterum ut hic Armenii, ita apud Silium Ital. (XVII. 6, 118) Indi *odorati*, apud Horatium (C. III. 1, 24). Getae *rigidi*, apud Ovid. Am. II. 4, 15. Sabinae rigidae appellantur. — v. 40. Scriptura *destituitque* et codicum auctoritate minus firmata est et ipsa per se est deterior, quam altera *deseruitque.* Nam non vires modo defecerunt, sed voluntas etiam. conf. Virgil. Aen. XII. 732. perfidus ensis fractus in medio ardentem deserit ictu. — v. 41. *descendens* posset Ovidiano *desiluit* aliqua ex parte defendi: quamquam hoc iracundiae egregie convenit, illud iusto lentius est. Verum hac defensione non opus est: libri praebent alteram scripturam *discedens*, eaque est haud dubie germana: nam verbum et res, de qua loquitur poeta, mire congruunt. — v. 42. *Et pudet et narrat scire nefanda mea.* Primum emendandum erat *mea*: et emendatum est a Nodellio: cuius emendatio

palmaris *meam* probata est Huschkio, Lachmanno, Dissenio. Clamant ea, quae sequuntur; Wunderlichii pertinaciam satis contudit Dissenius: res acta est. Dein offendit *et* repetitum: non tulit Scaliger, sed de coniectura dedit *et pudet heu narrat*. Placuit id Heynio: displicuit aliis, quibus ego consentio. Est enim interiectio iniquo loco posita. Huschkius ad firmandam scripturam vulgatam comparat Ovid. rem. Am. 407. *et pudet et dicam.* Addas licet Metam. XIV. 279. *et pudet et referam*; sed quid his locis proficitur? non plus, quam illo, qui est Heroid. ep. V. 155. *et potes et merui.* Nihil enim prodest, res inter se dissimillimas componere. Gruppio in mentem venit, *et, pudet, enarrat*: in quam coniecturam et ipse quondam incideram, sed postea eam abieci, quia verbi *enarrare* vis propria huic loco parum accomodata est. Si Tibullus scripsit, *et pudet et narrat*, repetita particula *et* cunctationem suam et haesitationem in referendis his istius feminae maledictis significari voluit. Verum cum considero et verba *mulier discedens me devotum dixit* et aequitatem animi, qua poeta has suspiciones refellit, persuadere mihi non possum, nihil esse hoc loco, quod non sanum sit. Nam in illis verbis *et pudet et referam, et pudet et dicam* eadem persona obtinetur: *pudet* enim eundem, qui *refert, dicit.* at hoc loco pudet poetam, narrat mulier. Et quae tandem, quaeso, causa pudoris? istius feminae verba stomachum vel risum poetae movere poterant, pudorem iniicere non poterant. Nam vir erat et puellam pro certo scivit sagam non esse. Ipse ordo verborum voci *pudet* non magnopere favet. Quid? si scriptum erat: Et putet et narret, scire nefanda meam: Und da nannte beim Weggehen das Weib mich einen behexten: und mag nun glauben und erzählen, mein Mädchen verstände sich auf Zauberkünste. Huic criminationi occurrens addit: *Non facit hoc*: intelligis autem eum concedere, Deliam esse, quae possit aliquem devovere, nec tamen id facere carminibus, sed venustate. Vides, quam haec sint et rerum et orationis simplicitati consentanea omnia. — v. 42. In paucis libris pro *verbis* legitur *herbis*: quae scriptura ipsa per se proba est: veruntamen altera praestat. Nam, ut recte Dissenius monuit, venuste opponuntur *verba formae.* Ovidius utramque rem iunxit dicens: nam misero carmen et herba nocent. Scriptura *non facit haec* deterior est. Nam ad verba *scire nefanda* nihil iam licet animum attendere: quae verba omnino quasi ἐκ παραλλήλου posita sunt explicandaeque voci *devotum* serviunt, in qua summa sententia posita est. Denique *nivei* lacerti — est enim *niveis* varia scriptura — etsi prae *teneris* lacertis non spernendi sunt, tamen scripturae *teneris* maior auctoritas est cum a libris tum ab aliis Tibulli locis (vid. Heyn. ad h. l.) — v. 45. *Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam vecta est frenato caerula pisce Thetis. Haec nocuere mihi, quod adest cet.* Abruptum genus sermonis! quo Gruppius tam vehementer offensus est, ut totum hoc distichon proturbaret (vide eius librum elegantissime scriptum, cui titulus est »die Roemische Elegie« Tom. I. p. 192). De verbis subsequentibus opiniones virorum doctorum discrepant. Alii enim *haec* revocant ad ea, quae paullo supra explicata sunt (vv. 43 et 44): alii contra iungunt cum iis, quae sequuntur: *quod adest dives amator: Venit in exitium cet.* Ac Huschkius quidem vestigia Brouckhusii, cuius interpretationem in coelum fert, religiosissime secutus, postquam docuit *nocere* in re

magica sedem habere, et *quod* saepe, praesertim in Ciceronis epistolis, valere *id quod attinet*, ergo, inquit, locus Tibulli ita explicandus est: Haec mihi nocuere, facies, teneri lacerti, flavae comae. *Quod vero attinet* divitem amatorem, qui Deliae adest, haec mihi pestem exitiosae lenae calliditas est machinata. Equidem istud *quod attinet* non venuste dictum, illud autem, quod dicunt praeter divitem amatorem aliud malum fuisse, ne verum quidem esse existimo. Brouckhusiana interpretatione compositio et structura totius loci dissolvitur vel disiicitur potius. Quod cum Heynius intellexisset, iunxit *haec* cum verbis sequentibus totumque locum ita interpretatus est: mihi *hoc* nocuit et animum Deliae abalienavit a me, quod dives amator et lena pessima eam obsederunt. Veruntamen hoc modo et ea, quae arcte inter se cohaerent, male divelluntur et totius loci acumen perit. Pari modo Wunderlichius, Lachmannus, Dissenius *haec* referunt ad ea, quae sequuntur, atque Dissenius explicat: hic fons malorum mihi, quod dives amator ei adest et lena pessima. Et profecto, disticho illo *Talis ad Haemonium — Thetis* interposito vix potest *haec* retorqueri ad ea, quae supra de Deliae forma, qua cuiusvis animum permulceret, dicta sunt. Non moror numerum pluralem pronominis, cum praesertim duo sint, quae sibi nocuisse poeta dicat: *adesse enim* ait *amatorem* et *venire in exitium lenam.* Sed cur haec tam incondite fundit et proiicit? Non enim credo Dissenio affirmanti, haec primo aspectu nobis videri posse abrupta; non potuisse poetae toto animo iacturam cogitanti. Tam commota hoc loco non est oratio: et aliud certe est oratio commotior: aliud inculta et abrupta. Age, rem ipsi consideremus. Poeta, mulier, inquit, discedens me devotum dixit et putet et narret scire nefanda meam. Ac devovet sane, veruntamen hoc facit non carminibus, sed venustate. Hanc describit: in ea describenda calescit animus: nec tamen immodice colores profundit, sed ut prudens poeta animum comprimit et una eaque suavissima imagine omnes carae puellae veneres comprehensas ante oculos legentium ponit. Comparat puellam cum Thetide ad Peleum delphino vecta. Quae imago non ex altis fabularum recessibus repetita, sed omnibus indoctis atque doctis cognita, qui tandem in supervacaneis ornamentis numerari possit? (vid. Grupp. l. l.). At male est posita; interpellat, quominus omnia apte cohaereant. At facile conglutinari possunt, si scribitur: Devovet et flavis nostra puella comis: Qualis ad Haemonium, cetera. *qualis* quemadmodum depravari a librariis potuerit, non difficile est dispicere. Hoc modo hae orationis partes contexuntur: quamquam si cui placuerit haec verba tanquam per parenthesin dicta accipere, ego non acriter pugnabo. Verum persequamur cetera. Itaque concessit poeta, posse Deliam devovere: *devovet* autem dixit universe: tum addit, id puellam non carminibus, sed formae praestantia facere. Quod si nunc dicturus erat, *non haec,* sed *amator et lena mihi nocuerunt,* debebat scribere: *At nocuere mihi, quod adest cet.* Tum vero displicet etiam asyndeton *venit in exitium.* Iam Heynius, intelligenda est, inquit, in altero versu connectendi particula, nisi malis Ayrmanni coniecturam reponere: Venit et exitium, callida lena, meum. Haec huius loci offensio iis, quae Dissenius excogitavit, non tollitur. Equidem *haec* puto referendum ad ea, quibus Deliam dixit posse devovere. Haec, ait, sibi nocuisse, nec tamen ipsa, sed *quod* vel quoad

huic i. e. tali seu tam venustae puellae nunc dives amator adsit. Vocabulum *devovere* poeta consulto commutavit cum verbo *nocere,* quo effectus devotionis, caussa languoris et lassitudinis suae aperiretur. Afflixit autem poetam dives amator: magis etiam avara lena, quae eum omni aditu exclusit. Iccirco et *exitium* scripsit, quod maius malum est, et omisit particulam copulativam. Iuvat totum locum patrio sermone explicare: Da nannte mich beim Weggehen das Weib einen behexten: und sie mag nun glauben und sagen, auf Zauberkünste verstehe sich meine Geliebte. Das thut sie nicht mit Worten, nein mit dem Gesichtchen und den zarten Armen und dem blonden Haare bezaubert mein Mädchen: sie ganz so, wie Thetis einst war, die Meeresnymphe, die Tochter des Nereus, als sie auf dem Rücken eines Delphins sich tragen liess zum Hämonischen Peleus. Ja das hat mir's angethan, sintemal einem solchen Mädchen ein reicher Liebhaber zur Seite steht; den Garaus hat mir gemacht die verschlagene Kupplerin! Ita mihi omnia arcte inter se cohaerere videntur et aptissime esse composita. *Caerula* autem Thetis est *marina.* Caerulei enim sunt crines Nereidum, caeruleus Neptuni currus, denique undae maris sunt caeruleae. Ad exornandam certe Thetidis formam hoc epitheton non valet. — v. 58. *Iniusta lege.* Propert. III. 21, 20.: foedera sunt ponenda prius signandaque iura et scribenda mihi lex in amore novo. Ovid. Am. II. 17, 23.: Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges. *Iniusta lex* potest comparari cum *iure peierato* (Horat. C. II. 8, 1). Iniuriam foederi amoris illatam i. e. perfidiam Tibullus Venerem dicit iniusta lege relictam. — v. 60. *Desere; nam donis vincitur omnis amor.* Haec verba Heynius explicat: Quam primum dona admittes, sis licet castissima femina, tamen fides tua statim victa erit. Dissenius autem consentiens Wunderlichio hanc putat subesse sententiam: a divite amatore, cum donis eius omnia pateant, omnem puellam expugnari posse, itaque eum non fidum fore, sed mox Deliam deserturum, simulatque aliam concupiverit. Dubium esse nequit, quin verba *donis omnis amor vincitur* sic possint explicari. Munera enim, ut ait Seneca, etiam deos vincunt. Propert. IV. 13, 9.: Haec etiam clausas expugnant arma pudicas. Ovid. Am. III. 8, 29.: Iupiter admonitus, nihil esse potentius auro, corruptae pretium Virginis ipse fuit. Vide omnino interprett. ad Horat. III. 16, 6. Atque si quaevis puella donis expugnari potest, consequitur, ut diviti copia sit cuiusvis puellae expugnandae, pauperi non sit. alteri igitur materia data est omnis nequitiae: alteri non est: eoque sane efficitur id, quod Wunderlichius vult, ut Deliae verendum sit, ne ab hoc homine brevi deseratur. Qualis tamen haec laus sit, quae pauperi tribuatur, iam ipse intelligis. Fidus est pauper, quia perfidus esse non potest. Deinde quid tandem poeta tam sedulo curet, ut ne Delia ab isto amorum desultore brevi deseratur? Propterea igitur tantopere instet, urgeat, admoneat, ut *quam primum* rapacis lenae praecepta Delia deserat? Non est id quidem verisimile. Puellae videtur metuere, ne avaritiae vitio inficiatur, ne inescata donorum pretio omnem veri amoris affectum amittat. Est enim avaritia pernicies amoris. Hoc est illud: *donis omnis* i. e. qualiscunque *amor vincitur.* (conf. Ovid. rem. am. 462.: *successore novo vincitur omnis amor.*) At si Delia *quam primum* deserat praecepta rapacis lenae, et

4

amari malit, quam donari, fore videt, ut dives amator nihil amplius valeat, sed is, qui amore praestet, pauper: cui quanta sit fidei et officii commendatio, versibus subsequentibus exponitur (cf. Ovid. Am. I. 10, 57). Ambigue dictum esse, *omnis amor vincitur* negari nequit: inde hae dissensiones. — v. 61. *pauper erit praesto, tibi praesto, pauper adibit Primus.* Haec est scriptura vulgata: in qua vitium inesse viri docti viderunt. Nam *praesto pauper adibit* dici nequit: prolepsi autem nihil loci est. Quod Huschkius invenit, *praesto, praestolans pauper adibit,* non est, cur ei invideamus. Duo sunt reliqua, ex quibus deligas, utrum tibi placuerit. Alterum legitur in Mureti exemplo: pauper erit praesto semper tibi, pauper adibit Primus: alterum in Excerptis Scaligeri: pauper erit praesto semper, te pauper adibit. Mureti emendationem secuti sunt cum alii, tum Dissenius. In altera scriptura *te* non adeo displicet. Nam etsi pronomen non necessario requiritur, tamen cum *pauper* et *puella* hoc loco primas agant, non imprudenter positum dices, cum praesertim in iis, quae sequuntur, *et in tenero fixus erit latere* omissum sit pronomen *tuo.* Equidem mallem scriptum: Pauper erit semper praesto tibi, semper adibit Primus. Nam vox *pauper* in trium distichorum initio collocata ad explendam vim anaphorae sufficit. Memoratu digna est varietas scripturae: *et in duro limine fixus erit*: Heynius opinatur, hunc versum esse a manu alicuius, qui pentametrum trisyllabo claudi noluerit. Haec Heynii opinio parum est probabilis: eiusmodi res tenebris circumfusae sunt, nec certi quidquam dispici potest. Fortasse aliquem locutio *in latere fixus erit* offenderat. Ac solet sane a poetis fere dativus iungi: velut *lateri fixum esse.* reperimus dictum: *lateri iunctum atque haerentem, lateri fixum adhaerere, ad latus esse.* aliud est, figere aliquid in aliqua re, ut oculos in vultu, spiculum in latere. — v. 65. *pauper ad occultos.* Frustra haesit Heynius: rem Wunderlichius et Dissenius illustrarunt. Tibullus se dicit deducturum puellam ad coetus amicorum, qui occulto (so ganz heimlich) convivia inter iocum et laetitiam concelebrent. Num vero amici Deliae, an poetae intelligendi sint, non liquet. — v. 69. Haec comparari possunt iis, quae leguntur apud Alciphr. I. ep. 35. *διηγοῦ νῦν μὲν μακαριωτέροις ἡμῶν, οὐκ εἰς μακρὰν δὲ, ἂν ὥσπερ ἡμεῖς ἔχωσιν, ἀνιασομένοις.*

Eleg. VI. v. 3. Quid tibi saevitiae mecum est? an gloria magna est. Ita Lachmannus ex libris restituit, eumque secutus est Dissenius. Brouckhusius tamen et Heynius Mureto suffragati, *saeve puer* reposuerunt, quamquam neuter eorum scripturam vulgatam damnat. Constat autem inter omnes, locutioni *quid tibi mecum est* aliam subesse sententiam. Dissenius quidem censet, *quid tibi saevitiae mecum est,* dictum esse ad similitudinem locutionis *quid tibi rei* vel *commercii mecum est.* At in hac verborum similitudine tanta, quanta hoc loco cernitur, sententiae dissimilitudo inesse vix potest. Quod Muretus divulgavit, natum videtur emendatione: in libris nulla est scripturae varietas, nisi quod pro *mecum est* scriptum reperitur *est mecum.* sed fac, esse sententiam horum verborum »was treibst du mit mir für ein grausames Spiel?« parum tamen his consentanea sunt, quae sequuntur, *an gloria magna est* »oder ist es etwa ein so grosser Ruhm«: haec mihi videntur postulare, ut antea dictum sit »*wozu doch treibst du* cetera. Quid multa? adduci non possum, ut hunc locum sanum exi-

stimem. Fortasse scriptum erat: *Quid tibi saevitiae est in me? num gloria magna est* cet. *in* sequente *m* facile potuit intercidere, *num* autem et *cum* temere confusis, factum est, ut *an* adderetur, quod interrogationi serviret. — v. 5. *Nam mihi tenduntur casses.* Quamquam his verbis, ut animadvertit Dissenius, indicatur, quamobrem Tibullus cum Amore expostulet, tamen particula caussalis non necesse est ponatur. Etenim pedestris sermonis subtilitas particulis solet definire, quemadmodum sententiae alia ex alia aptae atque connexae sint: at poeticae orationis vigor hanc diligentiam spernit ac cohaerentiam sententiarum occultat potius, quam ostentat. Velut hoc loco verbis subsequentibus *Delia furtim fovet* caussa irae et doloris non minus proditur, quam illis *mihi casses tenduntur*: nec tamen opus est particula caussali. Est omnino talis utriusque sententiae ratio, ut locutione, non re differant, quadecaussa non video, cur repetitum *iam* tantopere displiceat: cui scripturae quominus adstipuler, vix librorum auctoritate cohibeor. — v. 7. *Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.* Posse *multa* Graecorum more pro adverbio poni, constat: sed ubi positum est, curant scriptores, ut statim appareat, *multa* adverbii locum tenere, velut cum legimus *multa gemens*, *multa moratus*, *multa reluctans*, *multa precatur sive testatur aliquem*, *multa invectus in aliquem*, *multa Deos venerati*, *multa egeo*, alia id genus. Itaque si scriptum esset: *Illa quidem rem multa negat*: nihil foret offensionis reliquum. Sed ut nunc legitur, Dissenius non iniuria negat, *multa* esse pro adverbio positum: at idem, dum interpretatur »so manches« vim huius vocis aliquantum imminuit. Heynius cum alias coniecturas proponit, tum Ovidii vestigia secutus opinatur, legendum esse *iurata.* Haec coniectura est sane speciosa. Nam cum Ovidius (Trist. II. 447) Tibulliani istius loci mentionem ita faciat, ut haec verba tantum non descripta dicas, cumque nihil aptius commodiusque inveniri possit, quam Ovidii *iurata*, facile quis inducatur, ut id arripiat eiectisque verbis *tam multa* illud repositum velit. Verum utroque loco diligentius considerato, non exscriptos ab Ovidio hos versus esse intelligitur. Idemque dici potest de loco, qui infra legitur (v. 16), ubi Huschkius, Lachmannus, Dissenius iure servarunt *nihil.* Sed uti non est verisimile, ab Ovidio vocem Tibullianam positam esse, ita haud dubium est, quin verbo *iuranti* Tibullianum, quicquid illud erat, expresserit. Nihil autem ad vim verbi *iurare* propius accedit, quam *valde negare.* Nam furta negare et peierare in his puellis fere idem est. Itaque etiamsi non credo, scriptum hoc loco fuisse *iurata*, tamen verba Ovidii me movent, ut existimem, *tam multa* non esse »so manches, quod insuper exile atque ieiunum est, sed *sehr* vel *eifrigst.* Quid igitur, si *tam multa negat* dictum sit, ut *multus fluit* (cf. interprett. ad Horat. Serm. I. 7, 28) *multus instat* (Sall. Iug. c. 86)? — v. 11. Varia scriptura est *cur*: sed altera *ut* quin germana sit, non dubito: nam puella didicit caussas fingere, non *cum* sola cubaret, sed *ut* sola cubaret. Fictas caussas manifestum est inanes praetextus esse. Prudenter autem Lachmannus et Dissenius versu undecimo retinuerunt *tunc*: at iidem in sequenti versu cur *tum*, quam *tunc* legi maluerint, non perspicio. Equidem Heynio et Huschkio non possum quin in hac re consentiam. Novae fallaciarum viae, quas Tibullus succis suis et herbis Deliae aperuerat, recte

enuntiantur praeposita particula *tum*. — v. 17. *Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto*. Vulpius *celebret* interpretatus est *laudet*, Wunderlichius *honoret*, *insignes reddat*: alterum iure reiecit Dissenius; at alterum iniuria damnat. Quid Tibullus intelligi voluerit, planum est: sed locutio est insolentior: nec tamen tantum deflectit a consuetudine loquendi, ut cum propria vi verbi *celebrare* conciliari non possit. Illae quidem locutiones velut *carmine*, *oratione*, *laudibus aliquem celebrare*, conferri nequeunt: nec locus a Brouckhusio ex Ciceronis epistolis (ad Att. VI. 1) allatus, quem unum ad rem facere Heynius existimat, quidquam prodest. Propiora sunt haec: Ovid. Met. II. 252., quem locum iam laudavit Heynius: *Cygni Maeonias celebrarunt carmine ripas*. et Sil. Ital. VI. 398.: Consul Regulum patria vestigia primus Ponentem terra occursu celebrabat amico. Nobis huius locutionis vim sentire magis, quam exprimere licet: scripsit autem Tibullus consulto ac cum delectu ita, quo Deliae suae aliquid tribueret. patrio sermone licebit haec hoc fere modo explicare: dass sie nicht die Jünglinge mit vielem und langem Gespräche beehre, idque mihi videtur Wunderlichius dixisse. — v. 20. *Exibit quam saepe, time, seu visere dicet* cetera. Vulpius cum dicit ad supplendam sententiam requiri: *seu quacunque alia de caussa exire dicet*, non ignoravit, *sive* esse *vel si*, sed rationem particulae *sive* semel positae explicare voluit: in qua re certe ille multo melius vidit, quam ii, qui *sive* interdum nescio quid aliud sonare affirmant. — v. 22. *At mihi si credas, illam sequar unus ad aras: Tunc mihi non oculis sit timuisse meis*. Video pronomen *illam* ita positum esse, ut ad utrumque verbum et ad *credas* et ad *sequar* referri possit: arctius tamen iunctum est cum verbis *sequar unus ad aras*: quapropter non post *illam*, sed ante hoc pronomen distinguendum puto. Pronomine autem sic collocato verbum *credas* explices licet *custodiae meae committas*. Festive iocatur Tibullus. Nam Deliam Tibullo credere, esset ovile, ut aiunt, lupo credere. Illud autem lepidissime dictum est *unus sequar*: semotis igitur ceteris custodibus se solum custodiam suscepturum pollicetur. Quod Dissenius explicat, *audebo clam sequi vel in has aedes viris non adeundas*: rei convenit, non verbis poetae, apud quem nihil legitur, unde illa *ausurum*, *clam*, *vel* erui possint. Aras Bonae Deae intelligendas esse, docuit Brouckhusius. Erant autem haec templa, ut ex Iuvenali satis cognitum est, quasi officinae omnis nequitiae atque verba Tibulli, quamquam ei nihil erat cum Clodio, tamen in memoriam revocant locum Iuvenalis (Sat. VI. 345) ubi ille, sed nunc, inquit, ad quas non Clodius aras. Quae sequuntur, *tunc mihi non oculis sit timuisse meis* non aptissime copulata esse, neminem spero futurum, quin mecum sentiat. Perlegi identidem locos ab Heinsio ad Ovid. Art. Am. II. 28. collectos: video etiam, *sit* propemodum idem valere, quod *erit*: nec tamen temperare mihi possum, quin malim legi: Nec mihi tunc oculis sit timuisse meis. — v. 25. gemmas eius, *signumque* probarem. Haec scriptura alteri *signumve* praestat. Nam hae artes inventae erant ad tempus trahendum, quo liceret, manum puellae tangere. Haec caussa est tantae in his rebus probandis diligentiae. Visit gemmas: admiratur earum naturam ac pretium: tum probat signum et ut intelligens artificiorum existimator illud taxat. id brevi transigi non potest. inde

opportunitas manus saepius tangendae. ἓν διὰ δυοῖν hoc loco esse, nemo facile statuet, qui intelligat, quantum tenuitas prosae orationis ab incredibili huius poesis simplicitate ac lepore differat. Nec tamen si apud Tibullum *gemmas signumque* scribi placuerit, propterea continuo apud Ovidium *signumve* in *signumque* mutandum erit. Idem *gemmam*, non *gemmas* scripsit: quis audeat scriptores hac libertate spoliare? — v. 34. *Servare, ah frustra*: ita in nonnullis libris legitur: sed iure Lachmannus et Dissenius interiectionem *ah* iniquissimo loco inculcatam eiecerunt. — v. 39. Coniectura Guyeti *colis* non opus esse, docte demonstravit Huschkius. In versu sequenti res levis magnam virorum doctorum dissensionem movit. Cum enim altera scriptura sit *effluit*, altera *et fluit* Brouckhusius, Gronovius, Huschkius, Golberyus, Lachmannus alteram amplexati legunt *effluit*; Heynius contra, Vossius, Wunderlichius, Bachius, Dissenius *Et fluit*. Atque Huschkius suavi quem dicit syllabarum initialium concentu captus scripturae *effluit* tantopere patrocinatur, ut neget, in tali sententiae continuatione pronomini *cui* adiici copulam. Ille concentus ut interdum non flocci habendus est, ita non tanti est existimandus, quanti Huschkius duxit. In his rebus quisque et aures suas consulit et suo sensu ac iudicio ducitur. Alteram autem rationem, qua Huschkius ad damnandam scripturam *et fluit* utitur, penitus subvertit Dissenius. Nollem tamen virum doctum dixisse, *effluere* uno Claudiani loco defendi. Defensione huic voci non opus est: et ipsa per se proba est nec cum re non congruit. Nam si sinus est effusus, toga laxa quidni dici possit effluere? Sit *fluere* aut *fluitare* usitatius: at in verbo *effluere* nihil est, quod iure reprehendas. Sed tamen si quando in sententiis ex pronomine relativo aptis pronomen denuo ponitur, particula autem copulativa adiicitur: aut *que* aut *et* requiritur, et *que* quidem, si res his sententiis expositae aliqua necessitatis lege devinctae tenentur, *et* vero, si vinculo illae non necessario coniunguntur. Itaque hoc loco si non tam rerum, quibus iste grex notatur, quam hominum ratio haberetur, sine dubio scriptum esset, *effusoque fluit cui toga laxa sinu:* verum quoniam delicati isti adolescentuli his duobus designantur, *cultis capillis et toga fluitante*, nihil impedivit, quominus scriberetur *Et fluit.* Finge dictum: quisquis cultos capillos et togam fluentem habet: atque res manifesta erit. Quod cum ita sit, mihi quidem altera scriptura *Et fluit effuso* magis, quam altera, probatur. — v. 41. Quisquis et occurret, ne possit crimen habere. Dissenius verba *possit crimen habere* ad Deliam refert. At antecedentibus verbis *quisquis et occurret* et interpositis illis *tum procul absitis sinu*, vehementer dubito, num omitti potuerit pronomen *illa.* Nonne vero *crimen habere* dictum est, sicuti *iudicium habere* aut *suspicionem habere*? Equidem puto haec iungenda cum *quisquis occurret* »damit er nicht beschuldigt werden könne« *crimen* enim est hoc loco suspicio, aliquem conatum esse, occultis sermonibus aut artibus novos amores serere et castitati Deliae insidiari. — v. 42. *stet procul aut alia stet procul ante via.* Haec depravata esse, inter omnes viros doctos constat. Statius coniecit: stet procul ante, alia stet procul ante via. Haec coniectura haud scio an nemini probetur. Dissenius prudenter omni coniectura abstinuit. Sententia est plana et aperta. Poeta enim custodis personam sustinens, ne Deliae pote-

stas peccandi fiat, monet, ut nemo iuvenis, qui se omni suspicione liberum esse velit, ei occurrat: qui occurrerit, aut procul stet aut alia via se subtrahat. Itaque iam intelligitur, verba fere haec fuisse: stet procul aut alia fugerit (enteile) ante via. Voces *stet procul* a librario oscitante vel dormitante male repetitae sunt: quod autem vocabulum interciderit, quis divinet? — v. 53. Haud dubie Tibullus *attigerit*, non *attigeris* scripsit, ut ne haec in semet ipsum dicta viderentur. — v. 56. Male nonnulli *levem* explicant *vanam* vel *mendacem*. Quam Dissenius iniit interpretandi rationem, habet illa, quo valde commendetur (vid. C. G. Jacobi quaest. epic. p. 41). Opinatur enim vir doctus, poetam caritate puellae ductum omnia ad extenuandum poenae terrorem componere: qua de caussa et *nescio quas* eum dixisse et has ipsas poenas ad unam eamque levem redigere. — v. 59. *Haec mihi te adducit*. Hanc scripturam Heynius interpretatione egregie firmavit. Neque in verbis *contribuisse proprios annos tecum* est, quod haereas. *tecum* intelligimus positum pro *cum tuis annis*, ut saepe homines rebus, res hominibus, velut orationes Lysiae cum Demosthene, comparantur. Constructio verbi *contribuere* firmatur vel uno illo Caesaris loco (bell. civ. c. I. 60): rationem autem huius constructionis iam Dionysius perspexit Vossius. nam si vim huius verbi explicamus, valet, *tribuendo coniungere* vel *communicare*. — v. 70 sqq. De coniunctivis *sint*, *possim*, *putet*, *ducar*, *proripiar* dubitari nequit: nam ut recte viri docti monuerunt, haec omnia poeta pollicetur se subiturum ea condicione, ut Delia fidem praestet. Num vero (v. 71) *putet* an *puter*, scribendum sit, quaeri potest. Cum paullo ante *appetat* legatur, cumque poeta non curet, quid alii putent, sed quid una Delia putet, activum passivo anteponendum videtur. Est sane ellipsis pronominis *me* paullo durior, sed quia sequitur *ducar*, *proripiar*, omissi pronominis offensio lenitur. Si *ducatque* sequeretur, consentirem Dissenio, recipiendam esse Italorum coniecturam *puter*: quippe ea enim omnis ambiguitas tollitur. Multo autem magis haesi in verbis *ducarque capillis Immerito pronas proripiarque vias* aut ut in aliis libris legitur: *in proprias merito proripiarque vias*. Nam etsi concesseris, *immerito* dictum esse pro *quamvis immerito*, tamen consenties, minus commode istud *immerito* obiici verbis *si quid peccasse putet*: quorsus enim poeta se crimine purgat, cum non recuset, quin suborta perfidiae suspicione gravissimas poenas luat. At, inquit, tam severas leges sibi imponit, ut persuadeat puellae, se fidissimum fore, cum ei copiam faciat, non propter crimen admissum, sed propter suspicionem criminis quamvis inanem tam acerbas poenas exigendi. Non male istud quidem, fateor: et possunt fortasse verba Ovidii fulciendae voci *immerito* adhiberi (Am. II. 7, 28): per Venerem iuro puerique volatilis arcum, Me non admissi criminis esse reum. Etiam vox *pronas* congruit cum verbo *proripere*: at, quaeso, quid hoc loco caussae est, cur hoc attributum poeta delegerit? Quia, inquit, Romae viae erant fere declives: quia in declivi via aliquis facili negotio praeceps agitur. Intelligo: nec tamen persuadere mihi possum, haec Tibullum animum advertisse. Apparet, poetam dicere, si quid peccasse putaretur, se non recusaturum, quin protenus a Delia proiiceretur vel proturbaretur. Sensit Muretus, inesse in verbis *immerito pronas* aliquid vitii: idem alios quoque sensisse, testa-

tur etiam scripturae varietas, quam diximus. Mihi verba *immerito pronas* suspecta sunt; fortasse scribendum est: ducarque capillis In medias propere proripiarque vias. Terent. IV. 4, 37: Nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam provolvam teque ibidem pervolvam in luto. — vv. 77 sqq. Quas turbas in his versibus civit ignoratio vocabulorum, quae operariis et artificibus usurpata erant, doctorum virorum opera in explicandis cum vocabulis tum rebus collocata iam sedatae et compositae sunt. — v. 85. Haec aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris Exemplum cana simus uterque coma. In nonnullis libris pro *simus* legitur *stemus*. Suborta tamen est suspicio, *stemus* scriptum esse ab homine, qui cuperet aliquid esse, quod opponeretur verbo *cadant*: sed id admodum foret puerile et ineptum. At quoniam *stare* dicuntur ea, quae firma et diuturna sunt, scriptores, ubi intelligi volunt, aliquid non modo esse, sed etiam durare et in suo statu permanere, *stare* usurpant, quod interpretes pro exili et tenui verbo *esse* positum dicunt. Nec quisquam erit, qui neget, venuste dictum esse *stemus exemplum amoris* i. e. wir wollen als ein Muster der Liebe dastehen vel ein Muster der Liebe für alle Zeiten sein. Verum enim vero cum aliis locis, tum hoc ipso, de quo agimus, iniuria expulsum est verbum *esse*. Simplicitati certe totius loci inaffectatae magis convenit *simus*, quam *stemus*.

Zu der öffentlichen

Prüfung der Zöglinge

des

Königlichen Gymnasiums

zu Potsdam

den 22sten und 23sten März 1842

laden ehrerbietigst und ergebenst ein

Director und Lehrercollegium.

Inhalt:

1. **Annotationes ad Tibullum. Partic. II.** Scripsit ***Fr. A. Rigler.***
2. Der Jahresbericht, verfaßt von demselben.

Potsdam, 1842.

Gedruckt im Decker'schen Geh. Ober-Hofbuchdruckerei-Etablissement.

Eleg. VII. v. 1. *hunc cecinere diem — hunc fore.* Heynius ut vulgatam scripturam ab omni suspicione defenderet, Parcarum ait hoc esse vaticinium ideoque assurgere orationem. Hanc rationem secutus Huschkius effert locutionis audaciam, qua diei natali res gestae hominis eo die nati tribuantur, eamque aliorum poetarum locis munire conatur: quorum locorum tamen nullus est, quo id, quod ipse vult, efficiatur. Ego, nisi Messalae idem, quod Timoleonti, contigit, ut ipso die natali hostes funderet, non possum, quin inepte locutum poetam iudicem: nec, si ita esset, dubitarem scripturae vulgatae coniecturam Heynii *hoc cecinere die — hoc fore* longe anteponere. Nam pro actis gestisve rebus dies vel annus poni nequit, nisi is, quo ipso hae res actae gestaeve sunt: de qua re conf. Böttich. Lex. Tacit. proleg. p. 99. Veruntamen etsi nusquam relatum legimus, Messalam ipso die natali victoriam ex Aquitanis reportasse, tamen non est, cur huius loci testimonio fides detrahatur: nam si uno die tota provincia pacata non est, quid impediit, quo minus uno die unoque proelio summa rerum transigeretur? Recte igitur Dissenius rem ita mihi videtur expedisse, ut Messalam diceret natali quidem die acerrimo proelio ad Atacem vicisse: postmodum vero singulos deinceps aggressum Aquitaniae populos debellasse. Cum iis, quae sequuntur, *victus Atax* conferas licet Horat. C. II. 9, 22.: Medumque flumen gentibus additum victis. — v. 9. *Non sine me est tibi partus honos.* Poeta se quoque his rebus interfuisse ait. Video. Ac si quis dixerit *non sine me navigas, iter facis, vivis, in toro iaces*, planum erit, quid dicat. at verba *non sine me est tibi honos partus* etiam ita accipi possunt, ut quis dicere videatur, *sua ope, praesidio, consilio* factum esse, ut alter gloriam sive laudem alicuius rei adeptus sit (conf. Bosii annot. ad Cornel. Nepot. v. Thrasyb. 1.). Sed esto. verecundius certe Horatius, qui Epod. I. 1. 16: *comes*, inquit, minore sum futurus in metu. — v. 12. *caerula lympha Liger.* Pro *caerula* Gruppius coniicit *garrula*, quod *tacitis* opponatur. Belle istuc quidem. verum *garrulus* fontibus, quod ego sciam, et rivis potius, quam amnibus tribuitur. Adde quod Ligeris unda Lucano (Phars. I. 439.) *placida* vocatur. — v. 13. *An te Cydne canam tacitis qui leniter undis caeruleus placidis per vada serpis aquis.* Ita Lachmannus et Dissenius dederunt ex libris. Vulgata *caeruleis placidus* est de coniectura Statii. Heynius in annotatt. tuetur scripturam *caeruleus*: quippe in delectu enim attributorum, quibus nomina fluviorum ornarentur, alios quoque poetas minus fuisse diligentes. Equidem persuadere mihi non possum, poetas doctos quidem et politos in electione epithetorum tam licenter et perverse egisse, ut quo artificio vim et naturam rei alicuius illustratam vellent, hoc ipso eam obscurarent. Quod si interdum uni flumini, ut Ladoni apud Ovidium, attribuuntur, quae inter se contraria sunt, non increpanda continuo est poetarum inconstantia aut licentia. Ipsa enim natura fluminum varia est et mutabilis eorumque cursus modo placidior modo rapidior: ad quam varietatem plurimum valent anni tempora, alvei spatia et

proclivitates, soli ingenium (conf. Orell. ad Horat. Epod. C. 13, 13.). Imprimis torrentes qui dicuntur notum est quam varient faciem, ut in variatis epithetis diligentia potius, quam temeritas poetarum cernatur. Ignotis autem fluminibus satis erat epitheton adiecisse, quod in naturam aquae caderet. Ad designandum vero nobilioris alicuius fluvii ingenium epitheton deligere laudi eius pervulgatae contrarium nonne hominis foret prope delirantis? Itaque cum Cydnus amnis aquarum liquore perlucido insignis esset (Arr. de exped. Alex. II. 4. Curt. l. III. c. 4.), epitheton *caeruleus* cum aliis, tum viro doctissimo, qui in explicanda huius vocis significatione diligentissime versatus est, Jacobo (in quaestt. epic. p. 162.) parum probatum est. Ea huius epitheti offensione commotus ego aliquando conieceram: An te Cydne canam placidis qui leniter undis Caeruleis tacitus per vada serpis aquis: *caeruleis aquis* dictum volui pro *ad caeruleas* aquas i. e. mare vel sinum Issicum, in quem Cydnus emitteretur. At postea monitus, Helvetios lacus et fluvios plerosque sereno coelo cum summa esset aquarum tranquillitas, caeruleos esse iisdemque nihil liquidius, cognovi, posse Cydnum quoque caeruleum ita vocari, ut nihil liquori eius officeretur. Quam rem Claudiani locus a Vossio prolatus (l. 49, 5, 28.) confirmat, ubi *lacus caeruleus vitreis idem lucidus usque vadis* dicitur. Sed restat aliud, quod scrupulum iniiciat. qua de causa coniecerunt Statius *caeruleis placidus*, Vossius *caeruleus placidae — aquae*, et hic quidem docet, placidam aquam τόπον esse λιμνάζοντα Strabonis. De qua re consentiens Wunderlichius servata scriptura *placidis aquis* explicat *ad placidas aquas* i. e. ad lacum, in quem Cydnus effunditur. Idem sentiunt, qui *caeruleis — aquis* scribi maluerunt, Statius et Heynius: quam amphiboliam constructionis nescio an iure reprehenderit Dissenius. Merito autem ille damnat Huschkii coniecturam *caeruleae placidus*, qua oratio non ornetur, sed oneretur. Vulgata *tacitis leniter undis* elegantissimo Horatii loco (C. I. 3. 7.: Liris quieta mordet aqua taciturnus amnis) apte componi potest: Huschkii inventum non potest. Una verissima est Wunderlichii interpretatio verborum *per vada*: esse enim ait *per alveum*: fortasse miraris, tam nude positum esse *vada:* at cum verbum *serpis* proxime collocatum sit, epitheton non admodum desideratur. Dativum *placidis aquis* post ablativum *tacitis undis* inscite illatum esse, nemo neget: idque ipsum maximopere Dissenio displicuit: nec tamen hoc quicquid vitii est, interpreti aut librariorum cuiquam tribuendum est, sed ipsi poetae. — v. 15. *Quantus et aetherio contingens vertice nubes frigidus intonsos Taurus alat Cilices.* Scriptura *arat* necessario corrigenda est: quam qui tuentur, argutius, quam verius hanc vocem interpretantur (vid. Heyn. et Huschk. ad h. l.). *Alit* graece sonat τρέφει, quod saepe ponitur pro ἔχει: quamquam est multo, quam istud, significantius. Hoc autem loco *alit* proprie dictum esse, ex iis intelligitur, quae Strabo de pascuis convallibusque Tauri fertilibus tradidit. Pro *aetherio* in promtu erat scribere *aetherias*, vel quod Huschkio placuit, *aerio*: sed recte Lachmannus et Dissenius *aetherio* servarunt. Conf. Sil. Italic. III. 480. 491 et 493. *Aetherius* vertex poetis dicitur *arduus, celsus. Intonsi* Cilices sunt, qui Avieno descr. orb. terr. v. 1029. *diri* vocantur. Etiam Getae ab Ovidio et Alpium incolae a Livio appellantur *intonsi.* Paullo infra epitheta tria uni substantivo iuncta sunt, *intacta,*

alba, *sancta*: quorum unum, *intacta*, copulandum est cum verbo *volitet*: sed cum *intacta* eadem appelletur, quae *sancta* cumque alterum altero efficiatur, haec copia facile videatur esse nimia. Verba Ovidii (Metam. I. 168.) qui possint huic loco comparari, non video: habent aliquam sane cum Tibulliano loco similitudinem, sed nihil molesti. — v. 36. *Expressa incultis uva dedit pedibus.* Apud Ovidium (Metam. II. 29.) ipse *Autumnus calcatis sordidus uvis* dicitur: apud Propertium (III. 17, 18.) *inquinet* uva pedes. Etiam in Epitom. Il. Wernsd. Tom. IV. v. 292.: *gaudet pressis immundus vinitor uvis.* Itaque non deerant, qui hic quoque *incultis* explicarent *immundis musto.* Verum etsi ea, quae neglecta iacent, necessario paullatim sordibus et squallore obducuntur, saepe etiam res sordidae et squallidae, ut probri invidia minuatur, *incultae* vocantur: tamen non temere haec verba inter se confundi et commutari posse, recte monuerunt interpretes huius loci recentiores (conf. Diss. ad h. l.). Itaque Vossius aliam ingressus explicandi huius vocabuli rationem *incultos pedes* ait dictum esse pro *incultorum hominum pedes.* saepe enim attributum a tota re ad eius partes transferri. Vossii opinio probata est Dissenio. Atque dubium esse nequit, quin quicquid ingenii et morum sit, ad eam corporis partem, quam vis aliqua ab animo profecta prae ceteris partibus affecerit, recte possit traduci: quamobrem non raro *membra nescia*, *manus doctae*, *pedes rudes* dicuntur. quamquam in hoc genere latini sermonis usus angustioribus terminis continetur, quam Graecorum audacia. Sed hoc loco cum uvas pedibus conculcare nullum sit artificium, iure negat Huschkius, caussam esse, cur homines aut pedes eorum *inculti* vocentur. A vita autem ac moribus hominum hoc epitheton transferre ad pedes iisque notam feritatis inurere, id prorsus ineptum est, nisi forte putas, sicuti apud Ovidium (Heroid. Epist. 3, 2.) *manus barbarica* aut apud alios *manus clementes*, *incontinentes* dicantur, sic hoc loco *pedes barbaros* dici. At commode *agrestium* hominum pedes *inculti* vocantur: namque id genus hominum non curat, ut pes tener, exiguus, decens, candidus sit: sunt igitur *inculti pedes* callosi, indecori, informes (plumpe, rohe.) Egregie autem Dissenius docet, cur id potissimum epitheton delectum sit: erant enim agrestes homines primi, qui ab Osiride edocerentur. Ceterum Ovid. Amor. I. 8, 39. Sabinae *immundae* appellantur, pro quo in aliis libris legitur *incultae*, fortasse ex emendatione repositum. Denique cum verbis *non notis arboribus* confer. Calpurn. Eclog. X. 40.: et *ignotos*, pueri, calcate *racemos.* — v. 39. sq. *Bacchus et agricolae magno confecta labore Pectora tristitiae dissoluenda dedit*: *Bacchus et afflictis cet.* Bacchum per immutationem pro *vino* positum esse, apparet: sed haud scio an id parum scite factum sit: facile enim quis possit hoc nomine induci, ut opinetur, qui Bacchus dicatur, esse Osirim. Neque ea, quae sequuntur *pectora agricolae tristitiae dissoluenda dedit*, sunt politissima. Apud alios poetas franguntur vel conficiuntur corpora seu membra labore, pectora autem curis, moerore, aerumnis. Verum istud non moror; video etiam, cur poeta *pectora* scripserit, nec ignoro, saepe pectora pro ipsis hominibus poni: et tamen me meae sententiae non poenitet. Impeditam esse orationem, senserunt etiam Muretus, Passeratius, Guietus, Heinsius, qui omnes *laetitiae* pro *tristitiae* repositum maluerunt, quo esset, cui verbum *dedit* coniungeretur. At recte recentiores

tutati *tristitiae* rationem huius genitivi explicarunt. Nollem Heynium his verbis contulisse ea, quae leguntur l. III. c. 6. 27. *venti temeraria vota aeriae et nubes diripienda ferant*: quae his non magis comparari possunt, quam illa Ovidii (Fast. II. 521.): *farra flammis torrenda dedere:* in quorum locorum neutro quidquam novi est. Ut vero dubium non est, quin *tristitiae* sit genitivus (vide Ruddim. institut. grammat. lat. Tom. II. p. 120. Axt. ad Vestrit. Spur. p. 66.): ita negari nequit, parum apte *dedit* proximum ab illo vocabulo locum tenere. *Agricolae* num genitivus sit an dativus, ambigitur: Bachius dativum esse vult: in quo cum alii ab eo dissentiunt tum Dissenius, cui inepte dictum videtur, *deum pectus, quod sit agricolae, dare agricolae exhilarandum.* At, si quaeris, haec ipsa interpretatio insulsa est. Quod autem Dissenius dicit *dedit* absolute positum valere »er giebt dahin«: posse enim et *vinciendum aliquem* et *solvendum dare* ita dici, ut *quis* vel *quid* vinciat vel solvat, non adiiciatur, in eo virum doctum puto egregie falli. Qui tandem, quaeso, integra sententia possint haec ipsa omitti, nisi forte ex iis, quae addita sunt, intelliguntur? Atqui hoc loco Bacchus est *vinum*: ergo *vinum* pectora agricolae magno labore confecta dedit dissolvenda tristitiae: quid istuc? »der Wein giebt das abgemühte Herz des Landmanns dahin, um von der Traurigkeit gelöst zu werden«: haec non intelligo. Equidem necessario construendum puto hoc modo: vinum dedit agricolae — est autem dativus — ea pectora, quae quamvis confecta sint magno labore, a tristitia dissolvantur: »der Wein gewährt dem Landmann ein vom düsteren Ernste zu lösendes Herz, wie dasselbe auch von Mühsal erschöpft sei«. De vi participii *dissolvenda* vide Haas. ad Reisig. instit. gramm. p. 746. annot. 580. Mea sententia in hoc participio ubique inest vis quaedam necessitatis, qua quid eo adigitur, ut id, quod verbo significatur, assumat vel induat (dass es in den Zustand kommt, das vom Verbum Bezeichnete als seine Qualität anzunehmen). Hoc quoque loco vinum non tam potestatem facit, quam affert necessitatem pectoris curis solvendi. Unde festive Horatius C. III. c. 21, 12.: tu lene tormentum ingenio admoves duro. Plerumque poetae infinitivum iungunt verbo *dare*: qui si esset positus, oratio expedita foret: velut Eleg. 8. v. 56.: ipse dedit cupidis fallere posse deus. — v. 43. Broukhusius ex uno Statii libro *tristes vultus* repositum maluit: quae argutiae viri doctissimi digniores sunt, quas mireris, quam refutes: oppugnavit tamen eas magno operae impendio Heynius. — v. 47. *dulcis tibia cantu.* Plerisque interpretum placuit *dulci tibia cantu.* Quod si, ut apud Horatium *fistula*, ita hoc loco tibia *dulcis* dicta esset, omisso verbo *cantu*, nihil certe desideraretur. Nec vero scriptura *tibia dulcis cantu* quidquam habet offensionis, quamquam haec constructio praeter hunc locum nusquam apud Tibullum reperitur. Equidem poetam solo aurium iudicio puto motum fuisse, ut *dulcis* scriberet. — v. 49. *et centum ludos Geniumque choreis concelebra*: Pro *ludos* dedit Statius de coniectura *ludis.* Marklandus et Heynius refinxerunt: *et Genium ludo Geniumque choreis concel.*, quam coniecturam Huschkius palmarem ducit; sed postmodum ipse cum demonstrasset, quantum in numero centenario esset ponderis, coniecit: *huc ades et Genium ludis centumque ch. conc.*, scilicet ut *Genius* in suum locum, quo iniuria motus esset, restitueretur. Dissenius praeterquam quod

ludos in *ludis* mutari iubet, nihil molitus est amplius. Gruppius Lachmanni vel codicum potius auctoritatem secutus *ludos* tuetur. Ego non immemor sum simillimi zeugmatis apud Ovid. Met. IV. 444. sqq.: quod tamen iam nullum est, postquam Iahnus, Bothius et Handius versum ab Heinsio sede sua pulsum iure postliminii redire iusserunt: sed ut huius loci scriptura staret, apud Tibullum tamen si dicerem horridum istud zeugma mihi probari, mentirer. Cum Genius, qui choreis, idem ludis concelebretur, scribendum est aut *centum ludos Genioque* (dem Genius zu Ehren) *choreas conc.* aut *ludis Geniumque choreis concel.* — *tempora* Osiridis dici, manifestum est: pronomen *tu* repeti debet ex verbo *ades* (vide tamen Heyn. ad h. l.). *Centum,* velut Horat. C. IV. 1, 15.: puer centum artium. — v. 51. *Illius et nitido* Lachmannus: *e nitido* Heynius, Huschkius, Dissenius, alii dederunt. hi num recte fecerint, dubito. Ovid. Metam. I. 266.: canis fluit unda capillis. Epist. Heroid. XXI. 165.: saepe coronatis stillant unguenta capillis. Ac persuadere mihi non possum, sequentibus verbis *Sic venias hodierne* vocari Genium. Genii imago aderat: Osiris invitatur. Ad hunc, non ad illum conversus poeta *sic,* inquit, *venias hodierne.* Idem senserunt Broukhusius et Heynius: contra quos Dissenius dicit, rem ipsam docere, agi hoc loco de Genio. Turpe est in re manifesta errare: sed Dissenii rationes non eae sunt, quibus mihi hic error eripiatur. quadecaussa etiam nunc mihi persuasum est, germanam scripturam esse *et.* Paullo supra Osirim appellans dixerat: *incalesce vino*: nunc addit, etiam *illius caput* — dicit autem Genii — *unguento niteat.* — v. 53. Frustra haesit Heynius in verbo *dem*: res est ab Huschkio et Dissenio satis illustrata. Nec Heynius eam ignoravit, id quod ex eius annotatione intelligitur; sed vir doctissimus implicatus nescio qua aurium offensione haesitavit. — v. 56. *Mopsopio.* Mopsopiam urbem, Mopsopios muros, Mopsopium iuvenem commemorant alii quoque poetae: docte sane, sed sine ulla doctrinae ostentatione. Quid autem regium hoc nomen ad designandam mellis praestantiam valeat, equidem non dispicio. Quanto prudentius alii mel *olentis* Hymetti praedicant, quod nobilissimum omnibusque cognitum esset. — v. 58. Huschkio geminatum pronomen et asyndeton placuerunt: quod miror: melius multo Heynius, qui in annotationibus loco retractato probe intellexit, male a Broukhusio alterum *quem* invectum esse. In subsequentibus assentior Broukhusio, Heynio, Huschkio, qui *canet* scripturae *canit* anteposuerunt: nec me movet locus a Dissenio allatus II. 2, 10., cuius similes multi et alii apud graecos et latinos scriptores reperiuntur. At in omnibus eiusmodi locis ea ratio regnat, ut res eventura iam pars esse praesentis temporis coeperit aut animus morae impatiens ea, qua mens solet esse celeritate, tempus occupet remque futuram ante oculos ponat. Neutrum mihi in hunc locum cadere videtur. Nam cum eo ipso tempore via sterneretur necdum trita esset agricolarum pedibus, non video, qui apte scribi potuerit *canit*, praesertim cum futurum exactum *venerit*, *retulerit*, sequatur nec ulla hoc loco animi sit commotio. Itaque *canet* scriptum malim.

Eleg. VIII. v. 1. *celari possim.* Sic Scaliger et qui eum secuti sunt, Heynius et Huschkius. at recte Lachmannus, Dissenius, Gruppius *possum* ex libris dederunt. Coniunctivus enim, sive eum pro futuro positum dicis, sive vim ei tribuis graeci optativi cum

ἂν iuncti, ab hoc loco alienus est, cum poeta hac arte sua coniectandi glorietur. — v. 11. Ex varietate scripturae a plerisque *succo* delectum est: quamquam altera scriptura *fuco* plurium librorum auctoritate nititur. Cavebant nimirum, ne cataplasmata, sed smegmata i. e. succi aromatici intelligerentur (conf. Dissen. ad h. l.). At recte Heynius mihi videtur monuisse, epitheton *splendens* magis *fuco*, quam *succo* accommodatum esse. Idem tamen multum abest, ut *succum* reiiciat, quippe quod saepe docte positum sit pro *fuco*. Quod si ita est, haud scio an recte scripserit Huschkius *fuco*. Scaligeri autem commentum *onerasse* nemini nec probatum est nec probari poterit. Ut enim cataplasma intelligatur, satirarum potius, quam elegiarum scriptorem deceat dicere *onerare*. *Ornare* denique, cum perfectum verborum *coluisse, dispos., subsec.*, vim praesentis habeat, dubium non est, quin in hoc numero ferri possit: verum concedendum erit, unius varietatis gratia id factum: nam quae alia sit ratio variati temporis, non liquet. Aurium certe iudicio perfectum *ornasse*, quod Italorum est, non minus commendatur, quam praesens *ornare*. Res igitur sola codicum auctoritate decernitur. — v. 14. *ansaque compressos colligit arta pedes* i. e. vinculum sive habena crepidae tam arta est, ut pedes comprimat eoque colligat. Offendit locutio *pedes colligit*; nam pedes non ut capilli in nodum colliguntur multumque differt inter haec duo, *colligere aliquid* et *se colligere in aliquid*. Verum prudenter poeta addidit *compressos*, quo addito quid valeat *colligere*, apparet. Colliguntur enim, quae dissipata, disiecta, sparsa sunt: quae diffluunt, dilabuntur. Pedes igitur natura latiores si crepida angustiore comprimuntur, *colligi* non inepte dicuntur. Iure igitur Heynius, Huschkius, Lachmannus, Dissenius scripturam *colligat* repudiarunt. *Colligat* num omnino hic poni potuerit, valde dubito: sonat enim *pedes colligare* longe aliud. Accedit, quod epitheton *arta* i. e. *constringens* vim verbi *ligare* continet, verbi *legere* non item (conf. Huschk. ad h. l.). — v. 15. *ipsa pl.* sic Heyn. et Huschk.; sed cum oratio a Maratho ad puellam, de qua poeta nondum locutus est, transferatur, *ipsa* minus placet, quam *illa*. — v. 17. *pallentibus herbis*. Poetis saepe res, quae pallore inficiunt, ipsas dici *pallentes*, notum est. Atque apud Ovidium II. art. am. v. 105. potest utrumque apte dici, *pollentia* et *pallentia philtra*. praestat tamen *pallentia*, quippe quod illic significantius sit; Metam. autem IV. 49.: nimiumque potentibus herbis. Etiam hoc loco, ubi de carminum et herbarum, quibus iuvenis captus et devinctus teneatur, vi et efficientia agitur, eo minus cunctor amplecti scripturam *pollentibus*, quod paullo infra (v. 52.) pallor commemoratur. Idem senserunt Heynius et Huschkius. Lachmannum, cui *pallentibus* placuit, sequuntur Dissenius et Gruppius: Dissenius tamen mutata sententia in alteram partem discessit (vid. eius annot. ad h. l.). — v. 22. *et faceret — si non — sonent*. De consecutione temporum in his carminibus saepe perturbata Dissenius diligenter disseruit in proleg. p. 180. Totum id genus ad *unam* rationem revocari et potest et debet, ad brevitatis studium seu artificium potius, quo duae in unam conflantur sententiae: velut I. 4, 63. carmina ni sint, ex humero Pelopis non nituisset ebur. Sententia explicata haec est: quia carmina sunt, ex h. P. nituit ebur. idem hoc modo dici potest: fac, nulla esse carmina: quid sequeretur? non nituisset ebur. II. 4, 7. O ego ne possim tales sentire dolores,

quam mallem in gelidis montibus esse lapis i. e. nisi durus sum, qualis est lapis, fieri non potest, quin hos dolores sentiam. mallem igitur, si fieri posset, lapis esse, ut hos dolores effugerem. Itaque minime necesse est, hoc loco reponi *faciat*. — v. 27. *Nec ... tamen.* Sententiae inter se hoc modo aptae et connexae sunt: sed quamquam puer sua imprudentia in tantum malum devenit, tu tamen ne difficilis ei sis neve munera ab eo poscas. Quod sequitur *amplexus* Huschkius docte illustrat comparans Sophocleum παραγκάλισμα: simili modo apud Lucretium IV. 1165. labiosa dicitur φίλημα. — v. 35. Scaliger pro *invenit* emendavit *inveniet* eique Heynius et Huschkius assensi sunt. At non opus est futuro. Venus, quae furtis gaudet, iam *invenit*, quod dictum est, ut graece εὗρε multoque magis viget, quam *inveniet*. Dissenius illud recte explicavit, hoc tamen scribi mavult. — v. 36. *dum timet.* Ita in libris scriptum reperitur. Scaliger de coniectura dedit *tumet*: a librorum scriptura stant Lachmannus et Gruppius: Scaligero suffragati sunt Heynius, Wunderlichius, Huschkius, Dissenius. explicant *tumet* graece ὀργᾶ. dici autem volunt florem aetatis. Et erat sane iuvenis ea aetate, qua corpus virere ac vigere solet, notique sunt Statii *anni tumentes*. Verum ὀργᾶν latine *turgere* potius sonat, quam *tumere*, quod est οἰδαίνειν. Deinde etsi *terrae* et *vites* verno tempore *tumere* dicuntur, tamen idem verbum si ad homines translatum est, iram, superbiam, fastidium denotat. Praeterea iuvenilis aetas satis declaratur verbis *teneros sinus.* Quae cum ita sint, incertus haereo. *Timor* rursus quemadmodum cum flagrantissimo libidinis aestu, qui hoc loco describitur, congruat, non magis intelligo. Quid? etiam tum puerum subtimidum fuisse et celasse, quanto puellae amore deperiret? an a marito timuit, ne si in hoc adulterio esset deprehensus (conf. Grupp. p. 204.), ei, ut cum Horatio loquar (Serm. II. 2, 39.), multo corrumperetur dolore voluptas. Ne id quidem mihi probabile est. Locutionem *sinus conserere* Heynius egregie interpretatus est: sed nescio qua iuncturae asperitate offensus ad coniecturam *conserere* plane inutilem et perversam deflexit. Eodem delatus Bachius *conseruisse* emendavit. At si Dissenius *usque* i. e. in einem fort explicat *nunquam non* idque iungit adiectivo *teneros*, vim vocis *usque* misere detorquet. Ceterum magnam esse huius loci lasciviam, frustra negat Heynius: et ad has nequitias mihi *tumere* quadrare videtur (conf. Lucret. IV. 1101 sqq.). — v. 39. *Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola Dormiat.* Scaliger emendavit *iuvent* et *dormiet,* quorum alterum Heynius et Huschkius receperunt, alterum respuerunt. Ac *dormiat* quidem Heynius interpretatur *dormire sustinet*: qua interpretatione vim sententiae pervertit. Quod autem maius est, obsecutus Scaligero postquam verba *et nulli sit capienda viro* cum iis, quae supra leguntur *hanc — iuvent* coniunxit, casuum ait commutationem esse eam, quae paullo quidem durior sit, sed apud alios quoque scriptores reperiatur. Fallitur vir eruditissimus. nam si ea esset huius loci ratio, necessario scribendum erat *iuvent.* imprecaretur enim poeta puellae poenas avaritiae. At vero poeta dicit, munera vel pretiosissima nihil habere, quo puella calescat i. e. quod ei tantam, quantam pueri amplexus, voluptatem praebeat. Monet igitur puellam, ut ne talia consectetur. Coniunctivi *dormiat et capienda sit* positi sunt, quia pronomen *quae* valet *si qua,* ut recte vidit Dissenius. Tueri sane licet con-

iunctivum *iuvet*, dummodo explices »es mag vel wird nichts nutzen«: sed indicativus praestat, quippe quo declaretur, rem certam esse. Itaque Santenius iure servavit *iuvant*. Slothouveri autem coniecturam, quam Huschkius laude cumulavit, neutiquam necessariam esse, apparet. Offendit etiam vox *frigore* tam nude posita. Interpretes, quod ego sciam, omnes explicant *hiberna nocte*: quas noctes Muretus monet longas fuisse. Heynius *frigus* ait posse etiam ita intelligi, ut explicetur: *quae sola ideoque frigida dormiat.* Ovid. Art. amat. III. 70.: frigida deserta nocte iacebis anus. Vir doctus ablativo *frigore* videtur eandem vim tribuisse, qua supra (I. 2, 76.) *fletu* positum diximus. Quae viri docti opinio etsi probari nequit, tamen Heynio non indigna est. Huschkius quoque miratur, si puella hiberno tantum tempore senserit, cum sola dormiret, nulli sibi lapides pretiosos et gemmas usui esse. Iniuria. nam hiberna nocte frigus vacui tori multo acerbius puellam monebat, quantum haec solitudo ab aestu illorum amplexuum distaret. Hae nugae sunt, sed facetiis et arte conditae. — v. 41. Broukhusius, ut I. 4, 36. hic quoque ex varietate scripturae delegit *iuventas*: assensi sunt ei Heynius et Huschkius. De differentia vocum *iuventa* et *iuventas* egerunt Heins. ad Ovid. Metam. IV. 17. Kapp. ad Tacit. Germ. c. 20. Reisig. instit. gramm. lat. p. 116. Forbig. ad Virgil. Aen. V. 398. Atque apud Virgil. loco allato *iuventas* legitur, cui ex altera parte oppositum est *senecta*, sed addito *tardans*, quo appareat esse *senium* (conf. Horat. Epod. 17, 20. II. C. 11, 6. verum I. 30, 5. est dea Iuventas). Tibullus et I. 4, 36. et hoc loco de ipsa aetate loquitur. Liv. 35. 42, 12.: non ita se a *iuventa* eum gessisse, ut in *senectute* dominum laturus videatur. Tacit. Hist. I. 7.: *aetas* Galbae irrisui ac fastidio erat assuetis *iuventae* Neronis. Ut breviter ac strictim usum et differentiam horum vocabulorum explanem, *iuventus* ponitur etiam pro iuvenibus, non item *iuventa* (*): utrumque ponitur pro iuvenili aetate, sed *iuventus* in prosa oratione sedem suam habet, nec tamen a poetis spernitur (conf. Kön. de sermone lat. poet. epic. p. 216.): vocabulum *iuventa* frequens est *in poesi*, a prosae orationis usu castae quidem ac purae alienum fuerat: posthac in eam importatum ac brevi a scriptoribus usurpatum est. Vocem denique *iuventas*, cuius usu, nisi si ipsa est dea, quae Hebe graece vocatur, pedestris oratio prorsus abstinet, sumunt sibi poetae, ubi decus iuvenilis aetatis persona deae illius tanquam forma expressum designetur. Frequentius tamen est in ipsa poesi vocabulum *iuventa*, quippe quod in casibus obliquis facilius metricae necessitati pareat. Itaque ut ad locos Tibullianos redeam, in utroque loco haud dubie reponendum est *iuventa*. — v. 46. *et faciem dempta pelle referre novam.* Heynius fucum illitum dici ait aut smegma, quo cutis laevigata sit. Consentit Dissenius: esse enim rugosam cutem, quam velut angues exuant. Curabant nimirum istae mulierculae, ut cutis erugaretur ac teneresceret. sed fortasse mirabere, quod pellis iis dematur: quod enim anguibus datum sit, iddices id hominibus negatum esse. Ovid. Art. amat l. III. 77.: anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas: nostra sine auxilii fugiunt bona. Idem Met. l. VII. 236.: nec erant tacti nisi

*) Horat. III. C. 2, 15. *imbellis iuventae* compares Homerico ὁμηλικίῃ. est autem acerbe dictum et prope in oxymoris numerandum. Oportet enim iuventam *valentem*, *fortem* et *audacem* esse Vid. Doederlin. Synonym. Tom. V. p. 48.

odore dracones: et tamen annosae pellem posuere senectae. At Iuvenal. VI. 467.: Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit. Incipit agnosci atque illo lacte fovetur. et paullo supra 462.: Pane tumet facies: ad quos locos vetus enarrator medicamen ait ad tendendam faciem aut cutem magis. Et alio loco: asinino lacte, inquit, faciem linit, ut cutem tendat et candorem eliciat. Festus autem s. v. Tentipellium: Titinium ait Verrius existimare, id medicamentum esse, quo rugae extenduntur, cum dicat: Tentipellium Inducis, rugae in ore extenduntur tuo. Verum panis ille, smegmata ac fuci illiti *tectoria* erant, non pellis: illa demi poterant; haec non poterat. Quid igitur? scribatur *tenta pelle* i. e. erugata? Immo vero retinenda est vulgata, quamquam pellis nec *rugas* sonat — qui enim rana Phaedri (I. fab. 24, 4.) *rugosam inflaret pellem* — nec *detractam cutem* ubique significat: sed pellis cute laxior est et asperior, ita ut levitate illa iuvenili ac candore careat. Quocirca Iuvenal. X. 192.: deformem pro cute pellem pendentesque genas et — aspice rugas. Ovid. art. amat. III. 73. quam cito (me miserum) laxantur corpora rugis. Itaque ut hodie contemtim dicunt »das Fell«, ita sane hoc loco dici potuit, vetulam demta pelle faciem novam referre: demebatur autem pellis illis ipsis artibus et medicamentis, quibus tendebatur. — v. 49. *puero quae gloria victo est.* Quem huic Tibulliano Wunderlichius comparavit Taciti locum, is, cum nihil habeat, quod sit ambiguum, comparari nequit. In Tibulliano nimirum, si sola verba spectes, nihil impedit, quominus *puero victo*, qui ablativi sunt, pro dativis habeantur, At res ipsa clamat et utrumque recte dicitur: quae gloria est ex victo puero, et victo puero, quae gloria est. Si *tibi* additum esset, nulla foret ambiguitas. Ovid. III. Met. 654.: quae gloria vestra est, si puerum iuvenes, si multi fallitis unum. — v. 52. Broukhusium, qui pro *tingit* ex aliquot libris dederat *tangit*, iam Huschkius refutavit: et quae est horum verborum differentia, de scriptura dubitari nequit. — v. 53. Pro *vel* scripsit Muretus *vaeh*, Heinsius *ah* idque probatum est Heynio. Scripturam *vel* revocavit Broukhusius, servarunt Lachmannus, Huschkius, Dissenius, Gruppius: sed mutasse sententiam videntur Dissenius (vide eius annotat. ad h. l.) et Gruppius, et is quidem convertit »Ach wie seufzt er so oft«. Huschkius locis, quos affert, Terentianis nihil obtinet: et Donati praeceptum quam incertum sit, hodie inter omnes constat. Quam igitur scripturam Huschkius nulla posse machina subverti perseverat, ea Dissenii rationibus evertitur tam planis tamque firmis, ut qui restent, obstinati habendi sint. Etenim cum puer non praesenti puellae questus sit cumque praeterquam, quod puella non venit, omnino nulla sit eius doloris caussa, videre non licet, qui *vel* ferri possit. Atque sententia summa haec est: quam saepe iuvenis queritur et lacrimas fundit propterea, quod tu non ades. — v. 55. *spernis* optimorum librorum auctoritate nititur: hac commendatione altera scriptura caret. quae, etsi puer non Tibullo queritur, sed secum loquitur, nihilo tamen, quam altera, deterior est. nam etiam infra *spernit*, *fugit*, *promittit* positum est. Veruntamen facile concedam, secundam personam verbi, quoniam paullo ante dictum est *absenti querelas coniicit*, cum animi commotione, qua hae querelae excutiuntur, magis congruere. Est enim in secunda persona maior vis desiderii et amoris, in tertia doloris et irae. — v. 64. Viri docti in hoc versu alii *modis* alii *malis* legi

iubent. Utraque scriptura ex libris divulgata est. Minus finite dictum est *modis*: etenim is quoque, qui aliis curis vel etiam voluptate nocturnum tempus consumit, *multis modis* potest *noctem evigilare.* Huschkius adversatus scripturae *malis* arbitratur necessario scribendum fuisse *cum multis malis*: in quo fallitur: quidni latine dicatur *multis malis* bei sive unter vielen Qualen. Ceterum conf. Ovid. I. Am. 6, 70. Tu domina — Temporis absumti tam male testis eris. Egregie autem Dissenius vers. 66. scripturam *pedem* contra alteram, cui verba, quae I. 6, 62. leguntur, praesidio videantur esse, munit atque sustentat. — v. 72. *ultorem post caput esse deum*: nove dictum est *post caput*: sed quia *caput* saepe pro *ipso homine* ponitur, in omnibus autem imprecationibus dirae et comminationes *in caput alicuius* coniici solebant, poeta ad similitudinem locutionis *post tergum* effinxit *post caput.* Soph. Oed. R. 263. *νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαϑ' ἡ τύχη.* — v. 73. *Saepe etiam lacrimis fertur risisse.* Heynius et Dissenius huic loco conferunt Horat. Serm. II. 3, 72.: frustra: ibi enim est *γναϑμοῖσιν ἀλλοτρίοισι* ridere. Nec necesse est, *lacrimis* mutari in *lacrimas.* Nam *ridere aliquid* est etwas belachen sive über etwas lachen, aut etiam spotten. *ridere* autem *alicui*, velut apud Virgil. Aen. V. 258., einem zulachen, seine Freude und sein Gefallen haben an Etwas. Conf. Hauthal. ad Pers. Sat. III. 86. p. 220. sq. — v. 76. *opposita est ianua dura sera. est*, ut Huschkius quidem testatur, in omnibus libris legitur: quo verbo addito cavetur, ne aures quattuor vocibus in *a* cadentibus offendantur: id manifestum est, sed quemadmodum copula *est* vim vocis *opposita* intendat (vid. Dissen. ad h. l.), equidem non dispicio; dubito etiam, num *est* commode adiectum sit verbo *opposita*: certe si in libris non legeretur, nemo illud admodum desideraret. Ovid. Metam. III. 354.: sed fuit in tener*ā* tum dir*a* superbi*a* form*a*. At vincat codicum auctoritas. *Opposita* autem, non *apposita* legendum esse, mihi quoque persuasum est. Etiam apud Ovidium III. Amor. 14, 10: *opposita* praestat propterea, quod sequitur *populum submovet.* Contra apud eundem II. art. amat. v. 244, et Fast. I. 266. anteponenda erit scriptura *apposita.* Omnino ubi id agitur, ut aliquis aditu prohibeatur, rectius *opposita sera*, contra ubi quid muniatur aut occludatur, rectius *apposita sera* scribitur. Ovid. Heroid. Epist. VII. init. *fores* dicuntur Paridi *non oppositae* i. e. nihil prohibuisse, quin hospes domum intraret.

Eleg. IX. v. 1. *miseri amores* ii dici possunt, qui aut non mutui sunt aut proditi multisque inde cruciatibus animi ac curis coniuncti. Itaque hic, ubi poeta pueri perfidiam increpat, *miseros* eos potius, quam *teneros*, id quod Vossio et Huschkio placuit, dicendos fuisse, apparet. Wunderlichius certe non ignoravit, quod vel tironibus ex Ovidio cognitum est, amores teneros dici: sed vir doctus vidisse videtur, in istos amores vel *castos* vel *miseros* illud epitheton non quadrare. — v. 7. *habili aratro.* Quoniam vomer fere *gravis* vel *durus* dicitur: *durum* etiam *terrae opus* statim subsequitur, Dissenius *habile* explicat *aptum vertendae terrae et lucri parandi consilio.* At multo melius Heynius, qui *habile* ait *aratrum* dici propterea, quod *aratoris manu regi ac dirigi possit.* A *stiva* nimirum hoc epitheto ad *aratrum* translato poeta apte rustici magis, quam boum operam designavit. Virgil. Georgic. I. 213.: tempus iam dudum incumbere aratro. In versu nono scriptura *parentia* satis firmatur et notissimis illis locis Horatianis, in

quorum altero Auster dux inquieti Hadriae turbidus, altero autem Notus arbiter Hadriae appellatur, et verbis Ovidii, quae leguntur Trist. I. 2, 25.: Nescit cui domino — *ventos* autem dicit — pareat unda maris. — v. 10. *instabiles rates*: nihil aliud significat nisi *iactatas fluctibus rates.* Iuv. X. 31. alternum puppis latus evertentibus undis. Quocirca poetae navigationis periculis tuta et secura ruris et oppidi opponunt. — v. 13. *Iam mihi persolvet poenas.* In paucis libris est *persolves*, quod Vossio et Wunderlichio probatum est, fortasse quia his verbis illa subiiciuntur: *pulvisque detrahet*; *puer* etiam interpositis vocibus *Deus — illa — vertat* a verbo *persolvet* longius abest: denique quia paullo infra scriptum est *tunc mihi iurabas.* Verum et illud planum est, *puerum* dici *poenas persoluturum*, et personarum commutationes apud poetas sunt frequentissimae. Adde, quod infra Tibullus quemadmodum puerum admonuerit ita narrat, ut eum ipsum alloquatur: qua de caussa oratio ad secundam personam deflecteretur necesse erat. Nulla igitur caussa est satis idonea, cur optimorum librorum scriptura deseratur. — v. 17. *auro ne pollue formam.* Quae Huschkius ad hunc locum annotavit, plena sunt eruditionis et doctrinae: sed in verborum interpretatione paullulum ab eo dissentio. Ille enim Tibullum vult de puero loqui tanquam de pulchra statua, quam auro polluere nefas sit. Quae enim artificum opera proprio ac suo nitore splendere debeant, ea adventicio colore et ornamento inducto pollui seu violari. Explicat igitur: verunreinige deine Gestalt nicht durch Gold. Equidem *formam*, ut sexcenties, sic hoc quoque loco sonare puto pulchritudinem sive venustatem eamque ut rem sacram attrectatione nolle poetam violari. Scripsit autem *polluere* cum delectu, quippe quod verbum et de flagitiis, adulteriis, stupris, incestis usurpatum et ad notandam morum corruptelam aptissimum esset. *auro* est *um Gold*: pretium enim significat, quo puerum istum homini spurco pudicitiam vendidisse poeta criminatur. sententia est: entweihe deine Schönheit nicht um Gold. — v. 23. *Nec tibi celandi spes sit peccare paranti: est deus occultos qui vetat esse dolos.* Sic Scaliger dedit de Excerptis, quorum fidem Huschkius testatur quattuor aliorum librorum scriptura firmari. Scaligerum secuti sunt Heynius, Huschkius, Lachmannus, Dissenius, Gruppius. At Heynius in annotationibus alteram scripturam: *Nec tibi celanti fas sit peccare: paranti sit Deus occultos qui vetet esse dolos* plurimorum consensu munitam difficiliorem quidem ait esse, sed certiorem. Huschkius contra diligentissime Scaligerianae scripturae cavet. Veruntamen quos ipse locos congessit, ex iis discitur, et eos, qui fraudis aliquid admissuri sint aut facinus aliquod animo volvant, spe teneri, fore ut occulto id perpetrent: et, qui alios a fraudibus atque peccatis avocare velint, eos id potissimum agere, ut spem latendi et occultandi animis improborum evellant. Haec mihi tam consentanea veritati tamque necessaria videntur esse, ut in hoc genere scriptores inter se et sententiis et verbis consensisse non mirer: nec tamen propterea puto alteram scripturam loco suo depellendam esse. Est enim manifestum, prout rerum et hominum natura aut condicio ferat, dici posse aut *ne tibi spes sit peccandi* aut *ne tibi fas sit peccare.* alterum est »es sei dir keine Hoffnung, dich zu vergehen«. alterum »es sei dir keine Möglichkeit, dich zu verg.«: quorum hoc etiam fortius dictum est, quam illud. Nemo certe haerebit, si dixeris: ne tibi

fas sit clam peccare: paranti i. e. si pares scil. peccare, Deus sit, qui vetet, hos dolos occultos esse. Pro *clam* autem quidni poetae adiectivum aut participium ponere liceat? Occurrit quidem Dissenius: scribendum ait fuisse: *nec fas tibi sit celare peccanti.* Nonne vero graece dicitur ἔλαθε ποιήσας et λαθὼν ἐποίησεν aut δηῶν φθάνω et φθάνων δηῶ. Atque haec inter se differre, nemo ignorat. Simili modo nec *fas est tibi celanti peccare* valet: es ist dir unmöglich, heimlich zu sündigen: alterum autem nec *fas est tibi celare peccanti*: es ist dir unmöglich, wenn du sündigst, es zu verhehlen: ergo alterum tollit potestatem *furtim peccandi*, alterum *peccati celandi.* Denique dativus *celanti* nihil habet offensionis, cum ratio eius simillima sit dativi verbis *licet, datur, contingit* adiuncti. Ne vero quis fastidiosior numeros damnet, adeat Heynium, qui aliorum poetarum locos comparando hanc offensionem sublevavit. Iam vero totam sententiam si examinaveris, nihil invenies, quod vulgatae scripturae adversetur. Modo namque poeta puerum monuit, se malle omnia supplicia perpeti, quam eius perfidiam. Tum pergit dicere: *nec tibi celanti fas sit peccare: paranti sit deus, qui* cet. verte: Auch sei heimlich zu sündigen dir ganz unmöglich: machst du den Anschlag dazu, höre, so sei ein Gott, der deinen Trug nicht verborgen sein lasse. In his equidem nihil video, quod quis iure reprehendat. Num vero *vetet* an *vetat* scribendum sit, incertus sum. Cum *sit* legatur, qui coniunctivus ad vim futuri accedit, *vetet* fortasse potius est: quamquam poetis in hoc genere aliquid permittendum est. Restat, ut breviter dicamus de scriptura paucorum librorum *celari*, quam Huschkius merito respuit. Iunxerunt quidem veteres passivo huius verbi nominativum rei, velut Horat. Serm. II. 4, 11.: praecepta canam, celabitur autor, et Ovid. Art. Amat. II. 389.: sed furto celetur culpa modesto: Met. III. 552. sors querenda, non celanda foret. sed apparet, aut rem esse aut nomen hominis pro re positum: ubi vero aliquis ipse dicitur celari, patrio sermone explicandum est, ihm wird etwas verborgen: quod hic ineptum foret. – v. 25. *Ipse deus tacito permisit lene ministro Ederet ut multo libera verba mero.* Et *lene* larva scripturae est, nec magis sana sunt illa, quae alii libri praebent, *leve, leva, seva. Lena* ex uno libro Statii dederunt. Atque lenarum in his rebus frequentem usum fuisse, Heynius affirmat. nempe in conciliandis puellarum amoribus: nec vero hic Tibulli puer scortum est, qualia in stabulis illis Petronianis volutantur. Dissenius se ait nescire, quid impediverit, quominus dives amator ad corrumpendum puerum lenae opera uteretur. Potuit sane fieri: sed inde non sequitur, ut ita factum sit. At, inquit, ex verbis *multo mero* colligi id potest: erant enim lenae *bibaces.* Recte istuc quidem. Verum hoc loco aliquid debet accidere praeter exspectationem, quo appareat, deum ipsum detectae fraudis auctorem fuisse. Praeterea si lenae in his flagitiis aliqua provincia defertur, quae partes ministro relictae? Minister, inquit Dissenius, est servus, heri comes. At is ipse minister dici nequit, nisi domino in aliqua re instruenda et apparanda praesto est. Quid igitur fecit egitve tacitus iste servus, ut minister vocaretur? Equidem Heynio assentior, eum ministrum libidinis, transactorem foedissimi amoris esse. At si idem vir doctus *lenam* dicit *ministram dominae* fuisse, quemadmodum partes voluerit distributas aut quale totum hoc negotium fuisse crediderit, non intelligo. Accedit, quod *ministro*

ablativum esse, *lena* autem traiectum volunt. At hoc quidem verborum ordine: *tacito permisit ministro,* quis agnoscat, *ministro* esse ablativum? quis porro traiectum verbum *permittit* et interiectum simul sequentis sententiae subiectum lento animo ferat? Callum profecto necesse est eius stomacho obductum sit, cui ista placeant. Coniectura Scaligeri *permisit vela* ab Heynio et Huschkio, Lachmanni *nonne* a Dissenio repulsata est. Mureti coniecturam *saepe* Heynius commodissimam ducit, sed languidam. Mihi inventum viri elegantissimi propterea non probatur, quod *saepe* iniquo loco inculcatum foret. Erat enim, nisi me omnia fallunt, haec vox geminanda, ita ut diceretur: *saepe deus tacito* cet., *saepe deus somno*: quod tamen ineptum esset: caput enim sententiae est in verbis *ipse deus.* Huschkio Santenii vestigiis insistenti placuit *frena permisit*: quod et ipse quondam conieceram. Translata nimirum imago ab equo ad hominem foret, cuius hominis lingua mercede vel fide diu adstricta subito quasi laxatis frenis in libera verba erupisset. Veruntamen ne haec quidem satis placent. Etenim manifestum est, duobus his distichis id, quod supra dictum est, deum fore, qui dolos occultos esse non patiatur, ita explicari, ut poeta moneat, ipsum deum machinaturum, ut aut minister alioqui taciturnus per ebrietatem aut periurus puer per somni quietem, uterque invitus, has nequitias prodat. Sunt autem in his versibus omnia ita composita, ut verba singula singulis prope respondeant: quae si inter se comparaveris, facile senties, ei, quam Huschkius voluit, vocis *permittere* significationi locum non esse. Iuvenal. IX. 111. nec deerit, qui miseram vinosus inebriet aurem. Ovid. l. Trist. II. 446. sed linguam nimio non tenuisse mero. Propert. III. 11, 56. Nec ducis assiduo lingua sepulta mero. Senec. Ep. 83. huic autem neminem commissurum arcana, quae per vinum eloqui possit. Quid ergo? fortasse legendum: *Ipse deus tacito permisit lingua ministro Ederet ut multo libera verba mero*: der Gott selbst fügt's, dass dem schweigsamen Zwischenträger die Zunge in der Trunkenheit kundmachende Worte spricht. Dativus *tacito ministro* pro genitivo positus indicat, invito ministro linguam vino solutam secreta effutisse. Lingua igitur ebrii servi quasi instrumentum foret, quo deus ad ulciscendam pueri perfidiam uteretur. Sed videant perspicaciores. — v. 31. *nullius divitis auri pondere* Lachmannus ex Eborac. reposuit: in aliis libris legitur *nullo tibi*; in Aldin. *nullo te. Divitis,* ut apud Tacit. Hist. I. 51. *belli ditissimi* et sexcentis aliis locis valet *ditantis* (bereichernd). Si scriptum esset *nullius auri pondere* »um keines Gold's Gewicht«, ferendum esset. numerandus enim esset locus in eo genere, de quo vide Ellendt. ad Cic. de orat I. 45, 199. At cum *auro* epitheton *divitis* additum sit, mea quidem opinione adiectivum *nullius* eidem substantivo iunctum molestiam creat. Proprie enim dicendum erat: *non divitis auri pondere,* pro *non* poeta posuit, id quod fortius est, *nullum*: atqui *nullo auri pondere* idem est, quod *non auro, quamvis multum sit.* Ita veteres *magnum, grande, ignotum, congestum* auri, argenti *pondus* dixerunt. Ipse Dissenius, non damnaverim, inquit, scripturam *nullius*: significat enim *ne copiosissimi quidem auri pondere.* Alterum autem idem explicat: ne maximo quidem pondere. inter quae quid differat, difficile est dictu. Pronomen *te* etiamsi non necessarium est, commode tamen hoc loco est positum: *tibi* sequente voce *divitis* facile fieri potuit ut errore librariorum nasce-

retur. Itaque Heynius, Huschkius, alii iure scripturam *nullo te* tenuerunt. Recte autem Dissenius vidit, *Campania terra* arva dici Campaniae fertilissima, quibus adiicerentur *vineta* agri Falerni praestantissima. Verbis *cura Bacchi* conferre iuvat Horatiana illa (II. C. 6.): et amicus Aulon fertili Baccho minime Falernis invidet uvis. — v. 35. Sententia est plana, sed animadvertenda brevitas loquendi: Ovid. Metam. II. 483.: posse loqui eripitur. Sil. Italic. III. 132. Mavors eripuit evadere letum: quibus similia haec sunt: *eriperes mihi lucere sidera.* Nam etiam ea, quae scimus, tenemus: de quibus rebus si quis nos oratione vel obtestatione deducit sive deiicit, eripit eas nobis tanquam aliam, quaecunque illa est, possessionem. Ellipsis nulla est nec hoc loco nec apud Horat. Serm. II. 2, 24.: ubi legitur: vix tamen eripiam — quin velis tergere palatum. illustratur enim vis et significatio verbi *eripere* iis, quae eadem verborum comprehensione continentur. *Sidera caeli* frequentissimum est: qui *caelo* scribi malunt, ablativum cum verbo *lucere* iungunt, ut *caelo* pro *in caelo* positum sit. quod improbari nequit: nam acumen sententiae est, non quod astra luceant — lucent enim etiam aliae res — sed quod *in caelo luceant.* — *viae fulminis purae* vocantur, quia *aethereae* sunt seu per purum aerem ad terram pertinent. — v. 39. *Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae*? Heynius, cui altera scriptura *quid faceres* probata est, explicat: quid faceres, si puellam non amares illoque adeo a Nemesi metu vacares? Consentit Huschkius. Scaliger dedit *quid facerem,* Lachmannus, et qui eum secutus est, Dissenius *quid faciam.* utrumque nititur auctoritate librorum. Atque scriptura *quid faciam* non modo non depravata est, sed praestat etiam alteri. Comminatur enim poeta potius, quam interrogat. *Faceres* quin ineptum sit, dubitari nequit. quid enim reliquum erat, quod puer faceret? Consecutio autem temporum ad vulgarem grammatices rationem facile redigitur, si totum locum hoc modo explanes: dignus quidem es, a quo poenam perfidiae exigam, et ita facerem: sed cum amore puellae captus sis, nihil faciam, nisi ut precer, ut puella levitate te aequiparet. — v. 45. *Nam poteram.* Iam Vulpius monuit, vim huius particulae referri ad vocem *stulte.* Iure igitur Heynius, Huschkius, Lachmannus, Dissenius *non,* quod Scaliger et Broukhusius ex perpaucis libris reposuerant, repudiarunt. Paullo infra v. 48. Mureto scribi placuit *ut*, quod Heynius eleganter dictum ait. Lachmannus ex libris dedit *et,* ceteri *at.* Equidem cum verto: Ja, im verblendeten Sinne pflegte ich sogar dein Lob zu singen, und nun ärgere ich mich über mich und meinen Gesang, non video, cur Dissenio *et* stomachum moverit, praesertim cum sententia accuratius examinata haec sit: und was habe ich jetzt davon? nur Ärger. quapropter addit poeta, ipsum iam poenitere illa carmina fecisse. — v. 51. Quod distichon Heynius eiectum vult, Huschkius ex margine arbitratur in ipsum carmen temere receptum esse, id optimo iure tuetur Dissenius. Dixerat supra poeta, se amicissime, fraudulenter puerum egisse; iam dolore accensus libere effatur, puerum tam sibi invisum esse, ut procul a se eum abesse cupiat: sed is ipse dolor, qui hanc vocem expressit, iram concitat in pueri corruptorem, in quem poeta maxima cum acerbitate invehitur, dum puerum quamvis male de se meritum paucis dimittit, extremo demum carmine discidium ei denuntiaturus. Haec omnia dolori, quo tum ani-

mus poetae affectus erat, tam accommodata sunt, ut hunc locum laudandum potius, quam reprehendendum esse iudicem. — v. 62. *dum rota Luciferi — orta diem. rota* pro *curru* positum est, quia poeta *primum huius stellae ortum* intelligi voluit. *Oriri* graece sonat *ἀνέρχεσθαι, ἀναφαίνειν.* de curru autem Luciferi vide Wernsdorf. ad Incert. Eleg. in obit. Maecen. Exc. V. Nec vero si *rota solis* pro *orbe* seu *disco solis* ponitur, continuo *rota Luciferi* dici potest. Nos quoque Sonne-, Mond-Scheibe dicimus: Venus-, Mercur-Scheibe quis unquam dixerit? quippe; illorum enim planetarum formam orbis vel disci similem vel oculis cognoscimus: Veneris et Mercurii non item. — v. 64. *operum var. vic.* opera sunt *φιλοτήσια ἔργα* cf. Ovid. Am. I. 4, 48. II. 8, 28. — v. 65. *At tua perdidicit.* Heynius scriptum maluit *haec tua perdid.* aut *et tua perdid.* At nihil mutandum est: quamquam falluntur, qui arbitrentur poetis saepe pro *ac* poni *at*: de qua re praeclare disseruit Handius de particul. Poeta nimirum modo sororis lasciviam et foeditatem notavit. tum dicit: at non ista modo peccat, verum ipsa tua coniunx iisdem vitiis, quibus soror, inquinata est. Inde apparet, quam commode positum sit *at.* Ceterum *densus dens* (v. 68.) est ein feiner Kamm: talis pecten convenit tenuibus comis accuratius disponendis: alii aliter explicarunt. conf. Dissen. ad h. l. — v. 69. *ista haec persuadet facies.* haec verba mihi per interrogationem cum irrisione iunctam pronuntianda videntur, sicuti ea, quae paullo supra leguntur, *tune putas* cet.: sequitur enim *non tibi.* Intelligitur, *istam hanc* faciem esse tetram et deformem, fortasse qualem nostrates vocant *fratze.* Omissa tamen particula *ut* offendit: nec locus Sallustianus ab Huschkio et Dissenio prolatus quidquam ad tollendam hanc offensionem prodest. Lege utrumque locum et mecum senties. Equidem vellem scriptum: Ista haec persuadet facies, auro utque lacertos Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu. — v. 75. *Huic puer: hunc ego credam cum trucibus Venerem* — Etsi paullo supra proxime collocatum est *culta puella,* nemo tamen attentior *huic*, qui *senex* est, *puellam* intelliget: illud vero molestius est, quod statim subsequitur *hunc*, qui *puer* est, non *senex.* is enim *truci ferae* comparatur. Notum est, poetis saepe pro *hic — ille* aut *ille — ille* aut *hic — hic* dici (conf. Löhrs ad Ovid. Heroid. ep. II. 148. Forbig. ad Virg. Aen. X. 10.): sed quos locos id genus equidem legi, in iis est sententiae ea conformatio, quae nullam intelligendi difficultatem aut ambiguitatem pariat. quod idem vereor ut de hoc loco dici possit. — v. 80. et *geret in regno regna superba tuo.* Varia scriptura est *in gremio*, quae ipsa per se satis est probabilis: sed addito *tuo* ambigue dictum foret. *Sceptra* in hac re positum non memini me legere: vocabulo autem *regnum* in rebus amatoriis nihil est frequentius. conf. interprett. ad Hor. II. C. 8, 18. IV. 1, 4. Etiam alliteratione, qua constat veteres vehementer delectatos esse, scriptura *regno* commendatur. — v. 82. *palma* i. e. parma Broukhusius testatur in omnibus fere libris legi. Scaligeri *lamna* et quod in uno eiusdem Broukhusii libro est *picta tabella* nemini probetur. Ceterum apud Propertium in iis locis, quos attulerunt Forcellinus et Heynius, hodie legitur *parma.* De commutatione literarum *r* et *l* vide Schneider gr. l. Tom. I. p. 299. Balbutientibus *palma* pro *parma* grata et accepta fuerit: cur Tibullo placuerit, Di melius sciant, ego nescio. sed iubent libri ita legi: ergo pareamus: res enim flocci est neque omni ratione caret.

Eleg. X. v. 5. Lachmannus dedit, quod est in plerisque libris, *an*. Heynius, Huschkius, Dissenius, Gruppius paucorum librorum scripturam *at* reposuerunt. Poeta excusat ipse inventorem armorum, in quem modo exarserat, omnemque ab eo culpam avertit in illos, qui primi hoc invento ad hominum caedem uti coepissent. Quod cum ita sit, *at* unum est verissimum. *an* certe ab elegantissima, quae non modo huius loci, sed totius carminis est, simplicitate abhorret. — v. 10. *Somnumque petebat securus varias dux gregis inter oves.* Hoc loco duo suspicionem viris doctis moverunt: epitheton *varias* et quod *pastor dux ovium* vocatur. Alterum enim dixerunt esse vitium ovium, quarum alba vel nivea vellera in pretio fuissent; varia et maculosa non item. Quocirca alii aliter emendarunt: et Heinsius quidem *saturas*: quod epitheton cum pecori aut ad praesepe stanti aut ex pascuis redeunti a poetis tribui soleat, haud scio an hoc loco prorsus ineptum sit. Aptius certe foret *fessas, lassas.* Horat. III. C. 29, 17. sq.: iam pastor umbras cum grege languido rivumque fessus quaerit. Veruntamen *varias* Vossius recte interpretatus est nec potest negari, esse aliquam iucunditatem imaginis, qua pastor in medio pecore versicolore meridionans repraesentetur. Addit Vossius, non curasse priscos homines, ut ne vellera a niveo colore degenerarent. Frustra Praefkius contra dicit, opinatus, *varias oves* intelligi *varios ac multiplices ovium motus,* quarum aliae exsiliant, aliae incedant, aliae etiam procubent. Quae vocis *varius* significatio qui teneri possit, vir doctus ipse viderit. Nihil ergo mutandum est. Alterum autem, quod viris doctis offensioni fuisse diximus, Heynius acriter aggressus multis et undique collectis locis oppugnavit. Constanter enim aliis poetis pastorem ait *magistrum, custodem pecoris* appellari, non *ducem gregis,* qui aries sit. Sed, dum scripturam vulgatam explodit, viro doctissimo excidit coniectura paene ridicula. Facit enim *arietem inter oves somnum petentem*: cuius commenti ipsum posthac poenituit. iure: nec vero quidquam emendandum est. Namque ex locis ab Heynio et Huschkio allatis id certe intelligitur, potuisse etiam a Tibullo pastorem ducem gregis appellari. Unum est, quod quis miretur. Apud Apollonium enim legitur: Κατ' ἴχνια σημαντῆρος μυρία μῆλ' ἐφέπονται: atque si mos esset pastorum, ut semper anteirent gregibus in pascua exeuntibus, quidni commode vocarentur *duces gregis*? Verum saepius illi subsequuntur greges. Itaque mea quidem opinione vox *dux* ita explicanda erit, ut nihil intersit, utrum pastor anteeat an sequatur gregem. Atqui *duces* saepe ii vocantur, quibus imperium est (conf. Horat. C. IV. 5, 5.): quemadmodum vero agricolae arvis, vinitores vitibus imperare dicuntur (vid. Virg. Georg. I. 99. II. 370.): ita *dux gregis* hoc loco est *dominus gregis* sive is, qui ei praeest. — v. 11. *Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem arma nec audissem corde micante tubam.* Verba *tunc mihi vita foret* interpretantur plerique omnes: *si tunc mihi vita esset seu fuisset*: cui interpretationi a grammatices praeceptis nihil obstat (conf. de vi vocis *foret* Haas. ad Reisig. p. 483. annot. 445. de imperfecto *esset* pro *fuisset* Zumpt. Gr. lat. § 525.: de omissa coniunctione *si* Sanct. Minerv. p. 702. Ruddim. instit. gr. p. 356. annot. Forbig. ad Virgil. Aen. I. 573. et Dissen. ad h. l.). *Vulgi arma* Ayrmannus *bella civilia* intelligi vult. Equidem bella nullos habitura triumphos, civilia arma, lacrimosa bella, civicos motus, impium Martem, impia praelia, romanas

acies legi: *vulgi arma* hac significatione positum non reperi. Bachius *milites gregarios* (velut Tacit. Hist. I. 46, 5.) dici arbitratus est; Vossius et Dissenius *arma vulgi* explicant cultros, falces, alia id genus arma, quae vulgus in discordiis ac dissidiis ad inferenda vulnera et caedem arripiat: *his armis* egregie opponi *tubam*, qua ea, quae a militibus committantur, proelia indicentur. Et apud Propertium quidem (IV. El. I. v. 27.) *iusta arma ustis sudibus* opponuntur (vid. annot. Kuinoel. ad h. l.). atque manus illa, quam Scipio Nasica ad opprimendum Gracchum duxit, fustibus, clavis subselliorumque fragminibus armata erat (v. Plut. v. Gracchi c. 19.). Verum enim vero poeta de bellis loquitur, non de rixis pugnis certaminibusque, quae ab hominibus de infima plebe conserantur. Ipse enim postquam dixit *nec bella fuerunt, non arces, non vallus erat*, paullo infra: *nunc*, inquit, *ad bella trahor et iam quis forsitan hostis* cet. Recte igitur Praefkius a Vossio et Dissenio dissentit: at si idem collato cum his verbis nobilissimo illo Horatii loco, ubi apud inferos vulgus Alcaei carmina cupidius audit, *vulgi arma* existimat a Tibullo dici, quod multitudo imperita armis gaudeat atque exsultet tubaeque sonum a poeta non sine trepidatione auditum laetissimo animo excipiat, haec eius interpretatio non multum quidem ab Heynii et Vulpii sententia discedit: sed hi aliquanto planius *arma vulgi* ea dicunt esse, quae vulgus, non ii, qui sapiant ac pacem colant, sectentur. Nec vero deerant viri docti, qui rati vocem *vulgi* depravatam esse ad coniecturam confugerent. Ac Broukhusius quidem coniecit *Valgi*, Boschius *frugi*, Huschkius *vel ubi*, Heinsius *dulcis*. De his opinionibus Broukhusiana iam explosa et reiecta est: Huschkiana nihil fieri potest deterius; Boschii *frugi*, etiam si teneas ea, quae Cic. Tusc. disputt. III, 8. de vi et significatione huius vocabuli tradit, tamen non neges, nimis languere (vid. Huschk. annot. ad h. l.). Quid quod verbis *tunc mihi vita foret* si quidem sonant *tunc vixissem*, *frugi* ne adiici quidem potest. Idemque Heinsianae coniecturae occurrit. Age sis ergo locum consideremus. Poeta modo dixit: arma inventa contra feras vitio hominum ad mutuam caedem conversa esse. Caussam bellorum avaritiam esse: quamdiu homines pauperes fuissent, omnia fuisse pacata, tranquilla, secura. His, inquit, temporibus si vixissem, nec vulgi arma nossem neque tubam audissem. Manifestum est, *tuba* indicari iusta proelia vel iustam militiam: inde consequitur, ut verba *vulgi arma*, si sana sint, aliud quid significent. Stipendia, quae ipse, cum aetatem militarem agere coepisset, in equitibus facere debebat, *vulgi arma* certe non dixit. Contemtim potius *vulgus* videtur dictum esse. *Arma nosse* quamquam saepenumero valet *armis uti scire* (confer. Kissling. ad Tacit. Histt. I. 48, 1.): hoc tamen loco *nosse* mihi videtur sonare idem, quod interdum *sentire*, i. e. dolore quodam ac damno ex aliqua re capto, qualis ea res sit, intelligere, velut Horat. I. 15, 26. nosces Merionen. Poeta igitur, ni fallor (vide tamen Dissen. proleg. p. 15 et 16.) his verbis notare videtur saevam illam et ferocem turbam hominum, qui profligatis Bruti et Cassii partibus a triumviris exauctorati aut dimissi agrisque Italiae municipalibus donati iure iniuria in possessiones alienas invaserunt. qua calamitate publica Tibullus quoque partem patrimonii amisit (confer. I. 1. Propert. IV. 1, 130. Grupp. l. l. p. 259.). Itaque totius loci sententia haec est: si tum vixissem, neque armati vulgi iniurias passus essem neque arma gestare et

in bellum proficisci cogerer. Quae reliqua est offensio traiectae particulae *nec*, eam aliqua ex parte sustulit Dissenius, a quo tamen Virgil. Eclog. X. 16. nollem collatum; cuius loci ratio sane est dissimillima. — v. 19. *pauper cultus* cum ad materiam et ornatum, tum ad totam colendi rationem refertur. conf. Horat. C. III. 23. extr. — v. 25. *aerata* non sunt saeva vel perniciosa, sed quibus aes praefixum est, χαλκήρη: *aeratae* etiam *naves* dicuntur i. e. aere munitae. — v. 26. *Hostiaque e plena mystica porcus hara.* Ita Lachmannus ex libris divulgavit. Varia scriptura est: *hostia erit plena mystica porcus hara* eaque probata est Broukhusio, Heynio et Huschkio: pro *mystica* tamen iidem reposuerunt *rustica,* quod in paucis libris reperitur. Etiam Dissenius in ceteris Lachmanno consentiens *rustica* scribi maluit. Apud Horatium, C. III. 17, 15., Genio porcus bimestris, Serm. II. 3, 164. Laribus porcus seu porca immolatur. Conf. Voss. ad Virg. Eclog. I. 6. et Huschk. ad h. l. Ex his locis intelligitur, veteres porcum pro incolumitate et salute vovere solitos esse. Inde Tibullus, si salvus ex bello redisset, porcum se deo daturum vovit. Cur *mystica* hostia appelletur, non liquet. Nec enim iis, quae Muretus affert Var. Lectt. III. c. 7. res satis illustratur, etiam si, id quod Dissenius facit, concesseris, Larum sacra cum Cereris sacris aliquid similitudinis habuisse. *Rustica* autem Dissenio magis probatur propterea, quia Tibullus porcum ex copiis ruris promiserit. Video, quid senserit vir doctissimus. Arbitratur enim epitheton *rustica* a poeta iccirco delectum, ut intelligeretur, qui modo miles fuisset, eum, si ex bello revertisset, rusticaturum: *rusticum* ergo haec eum sacra facturum. Sed num propterea ipsa hostia apte potuerit *rustica* dici, vehementer dubito. Nec vero de populari opinione ad reconditioris nescio cuius doctrinae arcana deflexisse Tibullum putem. Etenim quae de hac hostia tradit Varro de r. r. l. II. 4, 9., ad tuendum epitheton *mysticus* valere mihi videntur. Quicquid est, cum in veterum superstitionibus haud pauca reperiantur, quae ipsa temporum vetustate ita sint obscurata, ut dispici a nobis nequeant, scriptura *mystica* servanda est potius, quam reiicienda. Nam quod I. 1, 23. in libro Guarneriano Vulpius ait scriptum esse *mystica*, docti cuiusdam somnio, non librariorum culpae tribuendum puto: multo certe facilius opineris *mystica* a librariis in *rustica*, quam hoc in illud mutatum esse. Maiori etiam offensioni viris doctis verba erant *hostiaque e plena — hara*: quamobrem alii arbitrati sunt, post pentametrum totum distichon intercidisse, alii emendarunt *hostia erit plena — hara*, ut videlicet esset, ex quo nominativus *hostia* penderet. At hoc modo nova paritur difficultas orationis expediendae. Quae est enim ratio ablativorum *plena hara*? Klindworthius quidem *plena hara* explicat *in pl. hara*: at cum proxime positum sit *sequar*, neutrum quadrat neque bei vollem Stalle neque im vollen Stalle: sed necessario requiritur *e.* Rem Dissenius egregie expedivit interpretatus: tela vos Lares depellite depellatque hostia, quam mactabo. Conf. Ovid. Heroid. Ep. X. 5. in quo me somnusque meus male prodidit et tu per facinus somnis insidiate meis. haec tamen plana et polita sunt: illa, quidni fateamur, aliquanto impeditiora. — v. 35 et 36. *Sed audax Cerberus et Stygiae navita puppis aquae.* Cerberus *ferox, improbus, immanis, ater* hic *audax* appellatur. conf. Hesiod. Theog. 312. κέρβερον ἀναιδέα τε κρατερόν τε. Saevo enim latratu umbras urget et terret

(conf. Propert. IV. 11, 25. Senec. Herc. fur. III. 783. Stat. Theb. VIII. 56.). Pro *navita puppis* Broukhusius ex paucis libris dedit *navita turpis.* vocem *puppis* pro *rate, cymba, carina* positam nihil moror: sed *navita puppis* si non putide, certe nove dictum est. Licet etiam mirari, cum Cerbero epitheton depingendis loci terroribus idoneum adiectum sit, Charonti tale epitheton deesse. Itaque legendum aut *turpis* aut quod Burmannus coniecit *tristis,* quorum epithetorum neutrum abhorret a natura et habitu Charontis. Anthol. gr. I. p. 169. Charon Ἀίδεω λυπηρὸς διήκονος dicitur: latinis poetis idem *squallidus* sive *terribili obsitus squallore* vocatur. Verum quoniam *turpis* ad scripturae vulgatae vestigia propius, quam *tristis* accedit, illud huic anteponendum existimo. — v. 37. *percussisque genis.* Varia scriptura est *percissisque,* ex qua Scaliger refinxit *perscissisque.* Hoc tuetur Praefkius, vulgatam Huschkius. Vossius autem et Vulpius pro *percussis* reposuerunt *perculsis,* quippe quae voces sexcenties a librariis commutatae essent. Ac Vossius quidem *perculsas genas* explicat *metu mortis attonitas* (Ovid. Ep. ex Pont. II. 3, 90.), Vulpius *rogi flammis perturbatas.* Huschkius intelligendum ait *timore*: *percussas* enim *genas* esse *pavore informes.* At haec mera est interpretandi licentia, ad quam obtinendam nihil prosunt loci ab Huschkio ex aliis scriptoribus prolati. Omnes enim mirum quantum ab hoc loco differunt. Praefkius denique cum perseverat, *perscissas* i. e. mortis doloribus dilaceratas genas respondere *ustis capillis,* non adtendisse videtur ad id, quod iam Heynius et Dissenius monuerant, non de luctu hoc loco — lugentium autem erat genas lacerare, pectus et femora plangere — neque de uno aliquo mortis genere, sed generatim de morte agi, ita ut non magis *genae unguibus dilaceratae,* quam, quae erat Klindworthii opinio, *macie confectae* intelligi possent. Heinsii coniectura *exesis* rei consentànea est; a vestigiis scripturae nimis discedit: eodem iure *exustis, exsuccis* aut *praefuscis* (vid. Manil. IV. 722.) reponas. Illud apparet, cum hae umbrae de rogo ad inferos descenderint, attributum requiri, quod simile sit epitheto *capillis* adiecto. Si quidquam mihi in animo esset mutare, coniicerem *pertostis,* quamquam hoc verbum compositum hodie quidem nusquam legitur. Lucret. III. 903.: Ignibus impositum calidis torrescere flammis. At quo facilior hoc loco videatur esse coniectatio, eo magis illa est lubrica. Mihi hoc unum persuasum est, *malas* umbrarum intelligi *concavas deficiente gena.* — v. 39. *laudandus* valet laude dignus: qualis haec laus sit, ex totius sententiae ratione cognosci debet: est alia laus virtutis, alia formae, alia condicionis ac vitae: si condicionis, intelligitur, aliquem feliciorem, fortunatiorem, beatiorem esse. — v. 40. *pigram senectutem* Dissenius vult praematurae morti oppositam. At ipsa *senectus* satis arguit, aliquem non iuvenili aetate absumtum esse. Mihi epitheton *pigram* a poeta electum videtur, quo declararet, sicut iuventutem deceret industria, sic senectuti permissum esse otiari ac quiescere: qua de caussa *paratam prolem* dicit, quae nimirum senem patrem bona parte laborum et curarum levet. Est sane interdum *tarda seu pigra* senectus das langsam, träg heranschleichende Alter: sed ab hoc loco id mihi videtur alienum esse. Ovid. Metam. X. 396.: nutrix, non est, inquit, mea pigra senectus i. e. nicht arbeitscheu ist mein Alter. — v. 45. *Interea* recte: pace enim vult agros coli, dum ad illud otium senilis aetatis ipse pervenerit. — v. 46. *araturos.* Haec plurimorum et optimorum libro-

rum scriptura Heinsio, Vulpio, Huschkio, Lachmanno, Dissenio probata est. In paucis libris legitur *aratores*: quae scriptura Broukhusio visa est multo elegantior. Heynius quamquam Heinsio consentit, *aratores* epico magis, quam elegiaco carmini convenire, haeret tamen, nec vero quidquam ad sustentandam scripturam *aratores* affert; sed miratur solum, cur Vulpius tanto eam fastidio reiecerit. Atque Jacobsius, cum Vulpius negasset, boves, qui nondum arassent, sed araturi essent, ullo pacto potuisse *aratores* dici, eum ita refellit, ut *aratores* per prolepsin dictum esse statueret. Suffragatur ei Jacob quaestt. epicc. p. 156. Idem sensisse Gruppius videtur, qui Puccii quam vocat coniecturam scripturae *araturos* anteponere non dubitaverit. Quod genus loquendi prolepsis dicitur, eo quamquam apud poetas nihil est frequentius (conf. Jacob. l. l. p. 137. sqq. et Axt. ad Vestrit. Spur. p. 62.): equidem tamen ad haec interpretationis artificia, ubi non necesse fuerit, confugere nolim veritus, ne temere nostras argutias veteribus scriptoribus largiamur. Atqui quae sit hoc loco necessitas rei per prolepsin explicandae, non perspicio, praesertim cum servata scriptura *araturos* luculenter indicetur, ad quod opus boves a natura facti destinatique sint. Itaque etsi dubium non est, quin scriptura *aratores* possit defendi, tamen cum alteri scripturae haud leve momentum accedat codicum auctoritas, cumque non minus ea declaretur, Pacem auctorem fuisse boves ad usum arationis domandi, ego hanc ipsam scripturam *araturos* praeferendam puto scripturae *aratores*. Num illud, quam hoc suavius dulciusque sonet (vide Praefek. Progr. Gymnas. Brandenb. Nov. 1837 p. 17.), id suo cuique aurium iudicio decernendum relinquo. Restat, ut dicam de varietate scripturae *curva* et *panda*: utrumque sanum et probum est: utrum scripserit Tibullus, quis pro certo dicat. sola igitur codicum auctoritate decernendum erit, utrum legatur. Etiam Ovid. Fast. IV. 216.: curva iuga: frequentius tamen apud hunc scriptorem *panda* esse, viri docti observarunt. — v. 49. *Pace bidens vomerque vigent.* In excerpt. Scalig. *nitet*, unde Guietus emendando refinxit *nitent*. Speciosum sane: sed cum hoc ipso vigore bidens et vomer nitescant, illa, sive scriptura est sive coniectura ne assequitur quidem vim verbi *vigent*, quod quoniam assiduum utriusque instrumenti usum indicat, neglectis ac iacentibus armis e regione opponitur. Ceterum ut *fervet opus* (Virgil. Aen. I. 436.), *bella calent* (vid. paullo infra), ita hoc loco *vigent* dictum est. Ovid. Fast. V. 279.: cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant. — v. 51. *Rusticus e lucoque vehit male sobrius ipse Uxorem* cet. Particula *que* tertio loco posita minus habet offensionis, quia praepositio cum substantivo arctius iuncta est et quasi coaluit. Ovid. art. amat. l. III. 22.: in medios desiluitque rogos. Vide omnino Huschk. ad h. l. Quodsi Heynius *que* cum grata negligentia ait positum esse, fallitur. Accuratius de hac re egit Dissenius, vellem paullo planius et dilucidius. Qui hoc loco *que* poni potuerit, facile intelliges, si demto orationis ornatu sententiam ita explanaveris: rusticus pace et in agri ac vitium culturam incumbit et voluptati etiam atque laetitiae se dat. Haec duo pacis quasi munera, quae vitae rusticae obveniunt, una cogitatione cum complectenda sint, apte coniunctione *que* copulantur. — v. 58. *Lentus utrumque sedet.* Ad lepidam totius imaginis venustatem plurimum valet epitheton *lentus*: quod non videntur sensisse viri docti, qui scripturam

laetus praetulerunt vulgatae. Licet Huschkii mirari sagacitatem ubique imitationem Graecorum odorati: qui quo iure hic quoque laudem inventionis Sophocli tribuerit, nemo aequior harum rerum existimator non iudicet. — v. 60. *e caelo deripit ille deos*: recte Huschkius, Dissenius, alii haec interpretati sunt: nec iam dubium potest esse, quin *e*, non *et*, legendum sit. Ovid. I. am. el. 7, 6. Tunc ego ... potui Saeva vel in sanctos verbera ferre deos. — v. 61. *e membris perscindere vestem.* Res est notissima. conf. Ovid. art. amat. III. 569. Horat. C. I. 17. extr. Propert. IV. 5, 21.: sed hi *scindere* dixerunt. Terent. Eunuch. IV. 3, 5.: *discidit vestem.* (Vid. omnino Markl. ad Stat. Silv. IV. 9, 24.) *Perscindere* displicuit Heinsio: esse enim et violentius, quam quod verbis *sit satis* accommodatum sit et ad praepositionem *e* parum aptum. Itaque ille *rescindere* coniecit: quam coniecturam Huschkius quidem ait quattuor libris confirmari. Probata est eadem Dissenio et Gruppio. Propert. III. 8, 8. rescisso sinu. Claudian. XV. 134. *rescissae vestes et serta iacent.* Sed cur scriptura *perscindere* reiiciatur, caussam idoneam equidem video prorsus nullam. *Perscindere* est durchreissen, einen Riss durch machen, quod, praesertim, si vestis tenuis est, facili negotio fieri potest. praepositio autem *e* indicat, vestem de eo ipso loco, in quo sederit seu haeserit, rescindi. Differt enim aliquid inter praepositiones *e* et *a*: *a pectore* foret von der Brust her vel weg; quod fieri potuisset, admota pectori manu et sola veste comprehensa. *e pectore* vero fieri non potuit, nisi manu vestem inter et pectus inserta: est igitur *perscindere e pectore vestem* von der Brust aus: quod quominus dicatur, nihil impedit. — v. 62. Quamquam et apud Propertium (I. 2, 1.) et apud Ovidium (Fast. IV. 309. Art. Amat. l. III. 138. Am. II. 7, 23.) aliosque scriptores *capilli* ornati dicuntur, hoc loco tamen, ubi poeta id utique praecipit, ne quis audeat ipsi corpori manus iniicere — satis enim esse in vestem et habitum saevire —, mihi *ornatus comae* multo aptius dictum videtur, quam *ornatas comas.* Nam qui *ornatus* comae dissolvit, is non necesse est comis ipsis infestas manus ingerat. Poeta igitur amatorem iubet contra facere, quam ille facit apud Terentium, qui ipsam capillo conscidit, aut Ovidius, cum dicit Amor. I. Eleg. 7, 11.: ergo ego digestos potui laniare capillos. *Ornatus* autem pluralis numerus positus est, quia ornandae comae magna erat varietas. Ovid Amor. III. 125.: non sint sine lege capilli nec genus ornatus unum est: et ibid. paullo infra v. 149.: nec mihi tot positus numero comprendere fas est: adiicit ornatus proxima quaeque dies. conf. C. G. Jacob. Comment. de us. num. plur. p. 30., qui pluralem ad artificiosam capilli compositionem refert. v. 64. Heynius Dousae coniecturam *quoi* scripturae *quo* anteposuit, idemque fecit Huschkius, nisi quod scripsit *cui.* Atqui *alicui plorare, flere* est einem etwas vorweinen: *aliquo autem irato flere* valet flere, si quis iratus sit i. e. weinen, wenn einer zürnt: id ipsum hoc loco poeta dicit, ut ex addito verbo potest (de quo vid. Dissen. ad h. l.) facile cognoscitur. Iure igitur Lachmannus, Dissenius, Gruppius vulgatam *quo* tuentur. — v. 68. Pro *perfluat* in aliis libris legitur *praefluat* aut *profluat*: quae varietas compendio scripturae nata est. Heinsius *perpluat* coniecit: id receperunt Broukhusius, Vulpius, Heynius. At, nisi me omnia fallunt, non sicut coenaculum aut tigna perpluunt, etiam sinus perpluit pomis; quippe enim non *per sinum,* sed *e sinu* poma decidunt

Praefluat autem prorsus ineptum est: *profluat* ad sinum vix quadrat. Huschkius recte quidem scripturam *perfluat* tenet, sed in ea explicanda haud scio an erraverit. Locis certe, quos attulit, id, quod probari vult, non efficit. Apud Ciceronem de Fin. II. 35. haud dubie legendum est *perfruens*. Dissenius tamen Huschkium secutus item interpretatur: *abundat*: intelligi enim sinum, qui copiam pomorum non capiat. Gruppius quoque vertit »und es fliesse sein Schooss über von reichlicher Frucht«. A sententia sane haec interpretatio non discrepat: sed vox *perfluat* parum accurate explicata est: Latine dicitur, tellus, os, membra unguine, tabo, cruore fluunt pro e tellure, ore, membris unguen, tabum, cruor fluit. Ita Appulei. Metam. I. p. 47. dixit: sudore frigido miser perfluo et libro secundo p. 166. *sudore diffluens* (v. scr. *defluens*, sed vid. annot. Oudendorp.), quorum alterum est: ich triefe ganz und gar vel am ganzen Leibe vom kalten Schweisse: alterum in Schweiss zerfliessend: quae locutio aliis quoque scriptoribus usurpata est: ad quem usum loquendi si hoc loco scriptum esset *perfluat*, explicandum illud foret: *ex sinu poma perfluant*: quod, cum poma neque uno velut tenore e sinu delabantur neque omnino a Pace sinu excutiantur, non video quemadmodum cum re congruat. Iam vero constat, laxiores vestes a veteribus *fluentes* dictas esset, velut Virgil. Aen. I. 319. *sinus fluentes* et Appulei. Metam. XI. p. 759., quem locum Huschkius attulit, *ambitus pallae perfluebat*. Itaque *perfluat et pomis candidus ante sinus* explico: und es bausche vom Obste ganz (*per* est enim durch und durch) nach vorne hin der schimmernde Busen vel quod idem est: er hänge vom Obste (sc. onustus, refertus) ganz nach vorne herunter.

Lib. II. Eleg. I. v. 1. *Quisquis adest, valeat.* Haec est vulgata: ab ea stant Lachmannus et Gruppius. Atque precabantur veteres in his sacris, ut deus non pecora solum salva servaret, sed patri quoque familias, domui et familiae salutem et valetudinem daret (conf. Cato de re rustic. c. 141.). Vox tamen *valeat* statim in exordio carminis posita, prius quam deus invocatus esset, viris doctis offensioni erat. quapropter Scaliger *faveat* legendum censet. Sic enim veteres sacris faciundis praefatos esse; Dousa autem filius scribi maluit *quisquis ades, faveas.* huic Heynius et Huschkius assensi sunt, illi suffragatus est Dissenius. Ego quominus Scaligero consentiam, hoc uno prohibeor, quod non memini me legere *fave* in illa sacrorum praefatione nude positum: ubique enim, quod ego sciam, additur *lingua* seu *linguis* aut *ore* aut etiam *animis* (conf. interprett. ad Horat. C. III. 1, 2.). Quae infra leguntur (II. c. 5, 1.): *Phoebe fave* his non magis, conferri possunt, quam verba Ovidii (Metam. III. 613.): quisquis es, o faveas. Nam commode Di et viri potentiores dicuntur *favere.* Omnino si verteris: Jedem der Anwesenden Heil und Wohlsein, non erit, quod optes. — v. 2. *priscus avus.* priscus non aetatem spectat, sed mores. conf. Catull. C. 168. v. 159.: priscus parens. — v. 6. *suspenso vomere.* conf. Virgil. Eclog. II. 66. aratra iugo referunt suspensa iuvenci. Horat. Epod. II. 63.: vomerem inversum boves collo trahentes. — v. 7. *solvite vincla iugis.* Ex his verbis Vossius sollerter coniecit, sacrum non mane factum esse. Atque si verba *solvite vincla iugis* valent *demite tauris iuga,* haud dubium est, quin hic dies festus in intercisis fuerit. Equidem ut Vossio consentiam, imprimis verbis adducor, quae in

extremo carmine leguntur: Ludite! iam Nox iungit equos, currumque cet. — v. 9. *Omnia sint operata deo.* Cum poeta Bacchum modo et Cererem invocaverit, licet mirari, hoc loco *deo* positum esse. Dissenius docet id factum esse, quod singularis numerus interdum gravior sit et magnificentior, quam pluralis. At haec ratio dubia est et saepe etiam fallax: melius igitur Heynius, qui *deo* indefinite pro *numini divino* dictum monet Quid? *diis*, quod Vulpius scribi voluit, ne potuit quidem poni: nam non omnibus, sed his ipsis dis, Cereri et Baccho, Tibullus sacra facturus erat. Atqui totius loci summa eo spectat, ut homines ab omni negotio avocentur. Satis ergo erat dixisse *deo*, quo nomine cum *res divina* significetur, id ipsum *operi* opponitur. — v. 11. *Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris, cui tulit* cet. Varia scriptura est *discedite* et *discedere*; *quis (queis), cui (quoi). Discedite* Muretus, Heynius, Huschkius; *discedat* Lachmannus, Dissenius, Gruppius dederunt. Potuisse *discedite* aut *discedere, quis* vel *cui* scribi, nemo neget: sed multo est probabilius, scriptum esse a Tibullo *discedat.* Haec enallage numeri nata est cum brevitate loquendi, tum sensu quodam humanitatis, quo ducti veteres, quicquid erat vitii in iis, qui ipsis curae essent, sublevabant. Itaque poeta dicturus *iubeo vos procul esse, qui tale quid commiseritis,* ne huius suspicionis labe plures aut omnes aspergantur, spem interponit, neminem fore, qui aliquid admiserit: tum vero religionis caussa addit: sin quis erit, discedat. Haec ego explicandae rei gratia pluribus exposui: poeta multo brevius dixit. — v. 14. Broukhusium, cui placuit scribi *puri fontis,* Heynius facili negotio repulsavit. — v. 18. Huschkius ut doceret, deos averruncos dici *pellere* aut *depellere,* non *tollere mala*, eruditionis copias depromsit: quibus fruimur ac gaudemus, sed quorsus eas profudit? Nempe ut scripturam unius libri *tollite* convelleret, quae sane tam inepta est, ut ne imprudentissimo quidem possit probari. Fieri enim certe nequit, ut quid de loco, in quo non versatum fuerit quemve non teneat, tollatur. Atqui isti homines precantur, ne se suasque res quidquam mali invadat. — v. 19. *fallaces herbas* compares cum Virgilii *vanis aristis* (Georg. I. 111) aut Horatii *fundo mendace* (C. III. 1, 30.): hic spes aratoris non explet: illae specie inani exspectationem messorum illudunt. In versu sequenti Wunderlichius *tardiorem agnam* ait imbecilliorem esse ceteris sive quae ceteras celeritate non aequiparet. Intelligo. nam si ne tardiori quidem agnae lupus timendus erit, multo minus ceteris nocebit. ergo totus grex a vastatione luporum liber ac tutus erit. Idem sentit Dissenius. Ego intelligi malim agnam, quae *intenta pascuis* tardius gregem secuta sit (das sich verspätet hat): aut, si *agna* vi collectiva dictum est, attributum *tardior* celeritati luporum oppositum puto, ita ut sonet, tardior, quam quae insectantes lupos possit effugere. Etiam apud Phaedrum fab. I. 16. v. 7. ovis se tardam fatetur esse. De re confer Ovid. Art. am. I. 118.: ut fugit invisos agna novella lupos. Horat. C. I. 17, 18. nec metuunt. Martiales haeduleae lupos. Scriptura *segnior* inepta est: nam animal natura infirmum ac pavidum qui possit *segne* vocari? — v. 21. *plenis agris* alii explicaverunt *semente facta quasi gravidis*: alii haec sacra post messem celebrata rati pro *agris* coniecerunt *areis*, ut Scaliger, aut *horreis*, ut Heinsius et Guietus. Has coniecturas utpote ab elegantissimi carminis numeris prorsus alienas aversatus Heynius modo messem factam

modo segetem maturam vel etiam demessam, sed ut aresceret, in agris relictam intelligi voluit. Vere viderat Heynius, sed quae est saepe eius inconstantia, huc illuc fluctuavit. Peracta messe agros plenos nec esse nec dici posse, manifestum est: quamobrem Wunderlichio et Dissenio consentio, qui statuunt, haec sacra facta esse non *post messem*, sed *ante messem*. *Nitidus* denique non vestem solam spectat, sed totum habitum vultumque, qualis solet hominum esse festo tempore et in laetitia. — v. 22. *Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni, Ludet et ex virgis extruet ante casas.* Horat. Epod. II. 65.: positosque vernas ditis examen domus circum renidentes lares. Conf. omnino Heynii annotat. ad h. l. eruditissimam. Propert. II. 29, 3.: obvia nescio quot pueri mihi turba minuta Venerat. *extruet ex virgis*: intelligitur, materiem ad extruendas casas virgas praebuisse (conf. Hand ad Tursell. de partic. Tom. II. p. 634.). *Ante* adverbium esse, res ipsa docet: valet davor, vornehin, ita paullo infra *ante vias*. Quin *ante* germana scriptura sit, dubitari nequit: *arte* prorsus ineptum est. *Ludet* graece sonat παιξεῖται neque *ludet* et *extruet* per ἓν διὰ δυοῖν explicanda sunt, ut recte vidit Dissenius. — v. 25. *viden' ut.* Plures alloquitur, sed de his singulos: idem fit verbo *inquit* et graeco ἄγε. *Viden' ut* cum indicativo iunctum admirantis est magis, quam interrogantis: si coniunctivus ponitur, res ad sensum ac iudicium alterius revocatur: illud usu vulgaris sermonis defenditur, hoc cum grammaticae praeceptis concinit. alterum sonat: wie deutet er an, siehst du's!, alterum siehst du, wie er andeutet. Conf. Haas. ad Reisig. institut. gramm. § 329. annot. 504. et Theod. Schmidt ad Horat. Epist. I. 1, 91. Itaque non est, cur miremur cum Huschkio, quod non scriptum sit *significat*. Ceterum vid. Dissen. ad h. l. — v. 27 sq. *Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos Consulis et Chio solvite vincla cado.* Scaliger dedit: *nunc mihi, nunc fumos — Falernos*: cuius scripturae tamen ipsum postea poenituit. Nam et geminatio vocis *nunc* plane inutilis est, et putide dictum *proferte fumos Falernos.* Etenim amphora quidem, ut vinum mitescat, *fumum bibere instituitur* (conf. Horat. Carm. III. 8, 11.), unde *cadi* Ovidio *fumosi* appellantur (Fast. V. 517.): sed quis unquam hominum biberit fumos Falernos seu Massicos? Itaque Scaligero postmodum Statii emendatio *fumosum — Falernum* probata est. *famosos* opinor non tam oculorum, quam iudicii errore satum esse: quae vox raro in bonam, plerumque in malam partem accepta huic loco parum quadrat. Apud Horatium (C. III. 28, 8.) Messala Corvinus languidiora vina postulat. De re conf. Colum. I. 6, 20. Voss. ad Georg. II. p. 300. Offensioni erat masculinum *Falernos*: viderunt viri docti, nihil agere eos, qui Virgilii Tmolium aut Phanaeum conferrent: abhorrere enim hunc loquendi usum Graecorum proprium ab oratione Tibulliana. Itaque Heynius monuit, ex singulari *cado* repetendum esse accusativum pluralis numeri, cum quo *Falernos* iungeretur. Recte: nec audiendus est Huschkius, qui nisi legatur *Chiis — cadis,* id negat fieri posse. Consentaneum est, unum cadum Chii, Falerni autem plures cados proferri: hoc vinum est quidem praestantius, sed Italicum tamen; illud Graecum idque pretiosius. unusque eius cadus pluribus Falerni admixtus haud dubie ad depellendam Falerni austeritatem sufficiebat (Horat. Serm. I. 10, 24.). — v. 31. Quod Scaliger »*bene Messalae*« legi vult, id non necessarium est. Conf. Heyn. et Dissen. annotatt. ad h. l. Res notissima

est: vide interprett. ad Horat. III. C. 8, 13. et Ovid. Fast. III. 530. — *absentis*. Recte Heynius *Messalam* ait *absentem* dici: poetam enim ruri festum celebrasse, Messalam in urbe fuisse. — v. 33. *Celeber Messala triumphis.* Horatio satis erat Iovem *Giganteo* (C. III. 1, 7.), Asinium Pollionem *Dalmatico triumpho* (II. C. 1, 15.) *clarum* praedicasse. Tibullus summa exsultans laetitia triumphi splendorem unius multiplicat. Ceterum confer. Jacob. de usu numeri plural. p. 16. — *intonsis avis gloria* dictum est, ut infra IV. 1.: *sed generis priscos contendis vincere honores.* — v. 38. *desuevit* Broukhusius restituit ex libris. Varia scriptura est *destituat*: quam scripturae discrepantiam miratus in eam opinionem incidi, ut putarem *destituit* vel *destituat* ex *destitit* errore oculorum aut imprudentia natum esse: id autem aut adscriptum fuisse voci *desuevit* aut depravatum esse ex *dedidicit.* Confundi enim interdum *dediscere* et *desistere*, constat. Nec ineptum foret *dedidicit*, velut apud Horatium virtus populum falsis nominibus uti dedocet (C. II. 2, 20.). Potior tamen est scriptura *desuevit* propterea, quia *magistri*, quos poeta dicit, non ad scientiam homines, sed ad mores ac vitae cultum conformarunt. — *quernas glandes.* Ovidius, ubi de aurea aetate loquitur, homines, inquit, legebant, quae deciderant patula Iovis arbore glandes: alioque loco hoc ipsum munus Cereri ac Terrae mandat, *consortibus operum, per quas correcta vetustas quernaque glans victa est utiliore cibo* (Fast. I. 676.). — *pellere glande famem*: totidem fere verbis idem dixit Ovid. Metam. XIV. 216. In versu sequente Broukhusius ex paucis libris reposuit *casam*: sed vel uno Horatii loco (C. III. 1, 20.), quem locum attulit Heynius, fides vulgatae scripturae confirmatur. — v. 41. *primi* haud dubie anteponendum est alteri scripturae *primum*: at in superiore versu, in quo eadem, quae hoc ipso loco, ratio obtineatur, *primum* scriptum est. Praecipua utriusque dei laus in utroque loco est inventio earum rerum, quibus homines a fera vita ad mitiorem cultum traducti sunt. Ergo *primi* docuerunt *casas exstruere*, *primi* iidem *tauros aratro iungere et plaustra rotis imponere.* Utroque igitur in loco quin *primi* scribi potuerit, dubium non est. Sed apparet, altero loco, cum sequatur verbum finitum *docuere*, potuisse poni *primum*: altero autem cum haec ipsa vox non ad infinitivum *docuisse*, sed ad verbum *feruntur* revocanda esset, scribendum fuisse *primi* potius, quam *primum.* Pro *docuisse servitium* Gebhardus, Vossius, Bachius legi iusserunt *domuisse servitio*: at *docuisse servitium* valet *domuisse*: quod si scriptum esset, vox *servitio* prope foret supervacanea. De suavitate repetitae vocis *docere* dixit Dissenius. ordo autem verborum hoc modo expediendus est: illi etiam primi et tauros servitium docuisse et plaustro rotam supposuisse feruntur. iam omnia plana sunt. nemo certe tam imprudens et inconsideratus erit, ut *tauros* aut *docuisse* iungat cum *supposuisse.* — v. 43. *tunc consita pomus.* Exc. Lips. *insita pomus*: nec dubitarunt ita legere Broukhusius, Vulpius, Vossius. Sed recte vidit Heynius, non de insitione, sed de satione poetam loqui. Scribendum igitur *consita.* — *irriguas aquas.* Virgil. Georg. II. 485.: rigui amnes. ib. IV. 34. irriguum fontem. Horat. C. I. 7, 14. uda mobilibus pomaria rivis. — v. 45. *pressos liquores.* Horat. Epod. 13, 6. vina Torquato consule pressa meo. Virg. Georg. IV. 140. pressis favis. Ovid. Trist. IV. 6, 20. nudo pressa uva pede. Colum. de r. r. XII. 13, 1. prelo uvas premere. Ovid.

Fast. 152. expressi favi. Verbo simplici fere poetae utuntur, uti nostrates »gepresst«. — v. 46. *securo mero*: simili modo Horatius Massicum obliviosum vocat (C. II. 7, 21.) Dionysius enim λυσιμέριμνος. Vinum animum omni cura et sollicitudine solvit et cornua addit pauperi, ut praeclare Horat. III. 21, 18. *Sobria* autem mihi in mentem revocat alium locum eiusdem poetae, qui, ubi insanire non vult, puerum iubet pocula ardentis Falerni praetereunte lympha restinguere (II. C. 11, 20.). Pariter hoc loco *sobria unda* salubre est temperamentum *meri securi*: quippe enim ista securitas non procul abest a levitate et confidentia. — v. 48. *annua terra* dictum est, ut apud Propert. IV. 8, 8. *annua pabula*. Id nihil novi habet: magis mireris epitheton *verno* cum *alveo* iunctum: quod Gebhardum et Vossium ita offendit, ut cum *rure* illud iungerent. At vocis *rus* et hic et infra geminatae tanta vis est, ut epitheto ornanti omnino nullus locus sit. Melius multo Fruterius, qui *vernos* legendum censuit: quae viri docti opinio et facilitate emendationis et magno locorum numero, in quibus *vernus* cum flore aut alio id genus vocabulo iunctum est, commendari videtur. confer. Horat. I. 4, 10. Propert. III. 5, 22. Ovid. Metam. V. 551. Senec. Hippolyt. I. 12. Valer. Flacc. III. 403.: quibus locis multos et alios facile addideris. Nec verbis, quae paullo infra leguntur, *verno de flore*, quicquid dicit Dissenius, Fruterii opinio confutatur: est aliud, quo refellatur. Si caput totius loci id esset, ut verni temporis amoenitas describeretur, necessario legendum esset *vernos flores*. at poeta, sicuti supra de messe, sic hoc loco de mellificatione loquitur. apes autem, ut pridem Broukhusius et Heynius monuerunt, in Italia quidem ab ipso aequinoctio verno mellificare coeperunt. Itaque summa totius loci in exponendis commodis et utilitatibus rei rusticae versatur atque verbis *in alveum ingerunt flores* sententia subest: *verno tempore apes mel colligunt ac parant*: itaque cum hic prope nihil referat, quae sit materies, ex qua apes mel colligant; non *flores*, sed *id*, quod verno tempore melle completur, epitheto id ipsum tempus significante ornandum erat. Poeta autem suo iure dixit *vernus alveus melle completur* pro *alveus melle completur verno tempore*. Adde, si vis, quod Dissenius monuit, alium vere, alium hieme et aestate alvei statum fuisse: nec iam dubites, quin *alveus* ipse *vernus* dici potuerit. Enallage epitheti, qualem saepe a poetis usurpatam volunt (conf. Obbar. in ephem. scholast. 1832 No. 150. Forbig. ad Virgil. Eclog. IX. 58.), hoc quidem loco nulla est. — *flores*. praeter locum ab Heynio allatum (Virgil. Georg. IV. 54.) adde Ovid. Metam. XIII. 928.: non apis inde tulit collectos sedulo flores. Lucret. III. 11.: floriferis ut apes in saltibus omnia libant. — v. 51. *Agricola assiduo ... satiatus aratro*. Pro *satiatus* in duobus Broukhusii libris scriptum reperitur *defessus*: Scaliger autem coniecit *lassatus*. Recentiorum nemo melius, quam Dissenius, vim vocis *satiatus* explicavit. Complexus enim summam eorum, quae Heynius, Wunderlichius et Huschkius docte ac subtiliter ad hunc locum annotaverant, ipse egregie docuit, nihil in usu huius vocis a Tibullo novatum esse: aratrum enim non invisum, sed gratum et acceptum esse agricolis: qua de caussa cecinisse Virgilium, *huc omnis aratri cessit amor*. Esse igitur *aratro satiatus* »nachdem er satt sich gepflügt«. Quae quam vere sint dicta, et ex iis, quae paullo infra leguntur (v. 55.) et ex loco Homerico huius simillimo (Il. XI. 85.) cognoscitur. — v. 53. Pro

modulatus Vulpio placuit *meditatus*. At poeta de ipsis modis (Melodien), qui fistula canendi erant, loquitur: ergo recte se habet scriptura *modulatus*. *Ornatos* Huschkius explicat *laudatos* sive *honoratos* idque per prolepsin dictum esse affirmat. Sed neque expedivit hanc interpretandi rationem et quibus armis ceteros interpretes petivit, ea facili negotio retunduntur. Ipsis enim verbis *ut diceret ante deos*, quale id carmen sit, apparet: deinde quod infra puer deos sertis coronans commemoratur, id multum abest ut Huschkii caussam sustentet. Ille enim locus ad id ipsum, quod dii a puero coronantur, totus refertur: his vero verbis pars continetur eius imaginis, cuius summa cernitur in pietate, qua agricola commotus modos, quibus deos celebraturus est, multo ante meditatur. Epitheton autem *ornatos* additum est iccirco, ut appareat, festo die id carmen dici, cui modulando profestis diebus agricola operam dederit. Nec vero coronas solum seu serta puto voce *ornatos* indicari, sed alia etiam ornamenta, quin totum habitum signorum, quae fumo et squallore purgata niteant (conf. Horat. III. 6, 4.). Verte igitur aufgeschmückt, geputzt. — v. 57. *Huic datus a pleno, memorabile munus ovili Dux pecoris hircus auxerat hircus oves.* Quod munus Horatius ad Pison. v. 220. *vile*, Tibullus *memorabile* dicit, sive et ipse credidit, ab hoc praemio tragoediam nomen accepisse, sive, quae est Dissenii opinio, intelligi voluit, id munus tum apud hos homines in magno honore ac pretio fuisse. Versum pentametrum et a metro et a sententia laborantem viri docti depravatum aut subdititium habuerunt. Muretus et Scaliger pro *auxerat* reposuerunt *duxerat*: quod mihi quidem, cum modo dictum sit *dux pecoris*, displicet nec quidquam praesidii huic coniecturae est in illis Propertii verbis (III. 13, 40.) Corniger — Dux aries saturas ipse reduxit oves. Waardenburgius (vid. Huschk. ad h. l.) coniecit: *dux pecoris curtas auxerat hircus opes*: sed vereor, ne iniquo loco positum sit *hircus*. Heinsius denique opinatus est legendum esse: *dux pecoris: hirtas duxerat hircus oves. hirtas oves* nihil offendit: idem legitur apud Varronem de r. r. II. 11, 7. atque *ovile* viri docti hoc loco esse caprarum stabulum monent: sed *duxerat* mihi non probatur atque ut Heinsii coniectura uni vitio medeatur, totum certe locum non sanat. Equidem olim conieceram: Huic datus ... ovili Dux pecoris hircus luserat inter oves (vid. Ovid. Metam. VII. 311.): de verbi *ludere* significatione conf. Catull. VI. 211. Horat. C. II. 5, 7. At manifestum est, praeter verba *dux pecoris* in hoc versu nihil esse, quod non suspectum sit. Vox *hircus* quin male geminata sit, non est dubium. Alterutrum locum obtineat. conf. Virgil. Eclog. VII. 6.: Vir gregis ipse caper. Ultima syllaba vocis *pecoris* producta excusationem habet: cetera leniori medicina restitui vix possunt. Quid Tibullus scripserit, quis divinet? ne illud quidem pro certo dici potest, num *datus* perfecti tertia persona, an participium sit. Fortasse duo haec disticha ita inter se apta et connexa erant, ut quae alterius distichi pentametro sententia esset explicata, referretur ad vocativum *Bacche* hoc modo: Huic datus a pleno memorabile munus ovili Dux pecoris hircus mox cadit ipse tibi. Verum quid iuvat hariolari? — v. 65. *textrix operata Minervae.* In plerisque libris legitur *assidue textrix operata Minervam cantat.* Broukhusii *Minervae* in paucis libris legitur. Fruterius et Guietus *textis* coniecerunt. *Textis* num ablativus an dativus sit, Heynius incertus est. Idem dubitat, num scriptura *assidue textrix operata Minervam*

Cantat mutanda fuerit. At vero et adverbium et *operata* nude positum non admodum placent: nec dubium esse potest, quin recte legatur: assiduae textrix operata Minervae. Est enim Minerva hoc loco positum pro ipso telae artificio, cui perficiendo textrix ista operam dat. conf. Virgil. Aen. VIII. 409. Ovid. Met. IV. 33. — v. 66. *et applauso tela sonat latere.* Quae est paucorum librorum scriptura *appulso*, nemo erit qui eam anteponat vulgatae: sed Mureti vestigia secutus malim legi: *a plauso tela sonat latere.* — v. 67 sq. Praepositionem in enumerandis rebus saepe a poetis bis terve eandem poni, viri docti pridem docuerunt. Confer. Thilium ad Virgil. Aen. II. 365. et Forbig. ad Virg. Aen. l. IX. 556. Hoc loco *inter* »mitten unter« ter repetitum succurrit exilitati enumerationis. Magnam vim aut etiam elegantiam inesse in praepositione ter repetita non sentio: si esset geminata, rei consultum foret. — v. 88. *lascivo sidera choro. Chorus siderum* num apud ullum scriptorem *lascivus* vocatus sit, nescio: sed lascivientibus omnia, etiam ea, quae alias magna et venerabilia et sunt et habentur, lasciviunt, sicut saltantibus circumagi cetera et moveri videntur. Itaque hoc loco lascivientibus siderum chori lasciviunt ipsi. Ex loco Ovidiano, quem attulit Heynius (III. Met. 685.), quid tandem discimus? nempe delphinos, qui lascivi solent esse, lasciva corpora iactare: nec dubium est, quin omnes omnium laetorum et lascivorum hominum et animalium motus saltationesque hoc epitheto insigniri possint. — v. 89. *fulvis circumdatus alis.* Pro *fulvis* Broukhusius scripsit *fuscis*, ut legitur III. 4, 55.; Heinsius *furvis*, quod Heynio probatur. Scriptura *fulvis*, cum in versu proxime superiore sidera dicta sint fulva i. e. corusca seu rutilantia, inficeta et insulsa est. Caussa mendi a librariis illati manifesta est. Quae nocte aut tenebris nascuntur, ea si alata finguntur, alis nigris seu fuscis instruenda sunt. Nec de caelo, ut apud Virgil. V. 838., hic Somnus delabitur. Recte igitur Heynius, Huschkius, Dissenius ab Italis steterunt. — *tacitus*: conf. Ovid. Metam. XI. 650.: ille volat nullos strepitus facientibus alis Per tenebras. Sil. Italic. X. 354.: per tacitum allapsus. — *nigra somnia.* Heinsio placuit *pigra.* Broukhusius cum in uno libro *mera* invenisset, coniecit *vara*, quod conveniret *incerto pedi.* At vere vidit Heynius, tum *valga,* non *vara* fuisse scribendum. Huschkius e varia scriptura delegit *vana.* Atque *vana* et dici possunt et dicta sunt somnia. At vellem obtemperasset Heynio, qui monuerat, elegorum esse, epitheton, quod rei esset proprium, repetere: itaque cum *niger somnus* dictus esset, *somnia* quoque *nigra* fuisse dicenda. Confirmatur praeterea aliqua saltem ex parte scriptura *nigra* Euripideo illo μελανοπτερύγων ὀνείρων. Omnem autem dubitationem tollunt Ovidii verba (Fast. IV. 662.): nox venit et secum somnia nigra trahit.

Eleg. II. v. 1. Distinguendum est ita, ut voces *Natalis venit* iungantur cum verbis *ad aras.* Haec distinguendi ratio locis, quos viri docti et ex aliis scriptoribus et ex Tibullo attulerunt, satis firmatur. Constat enim, haud raro ipsos deos sacris suis adfuisse. — v. 4. Cum *odores* in ipsa Arabia nascantur, scriptura *e terra* mihi magis, quam altera *a terra* probatur. — *tener* Arabs dicitur, qui Catullo, Virgilio, Claudiano, aliis poetis *mollis* vocatur. Est autem *tener* hoc loco Schwächling, quod quam prope ad vim vocis *mollis* i. e. Weichling accedat, manifestum est. Ceterum de fertilitate

terrae et odoribus in ea nascentibus conf. Plin. hist. nat. VI. 32. ad extr. et Dionys. Perieges. 936 sqq. — v. 5. Productam syllabam in tertii pedis caesura defendit Huschkius: cui non adversatur Dissenius: is tamen miratur, cur Tibullus, cum plus ponderis sit in verbis *ipse — adsit*, non scripserit *Ipse suos adsit Genius visurus honores.* Mihi, ut vox *Genius* ante verbum *adsit* collocaretur, pronomina *ipse suos* videntur postulasse: haec necessario excipi debebant nomine *Genius*: traiice id nomen, et statim senties, quam illud non vigeat, quam sit delumbe. — v. 6. *mollia serta.* Alteram scripturam *florea* Dissenius potiorem ducit, contra, quam Muretus, qui *mollia* revocavit: uterque caussam suam eo qui supra legitur loco (I. 7, 53.) tuetur. Ac probum quidem utrumque est: sed magis mihi hoc loco placet *mollia.* haec enim sertorum sanctis comis impositorum praecipua virtus. Virgil. Aen. VII. 485. Ovid. Fast. II. 340. (habent unctae mollia serta comae). Accedit, quod *serta* etiam nullo epitheto addito *florea* esse nemo non intelligit. Denique confer molles thyrsos Bacchi (Virgil. Aen. VII. 390.) et res acta erit. — v. 10. *annuet ille.* Recte Huschkius, Lachmannus et Dissenius restituerunt scripturam *annuit.* Iam enim apparet, deum propitium esse facturumque, quodcunque Cerinthus rogaverit. Quod cum ita sit, praesens aptius est, quam futurum. — v. 11 sq. *uxoris fidos optabis amores: iam reor hoc ipsos edidicisse deos.* Toties igitur has preces iuvenis diis adhibuerat, ut hi ipsi vota eius edidicissent. Haec plana sunt. Sed vox *uxor* magnas inter viros doctos dissensiones commovit: quorum alii, ut Broukhusius, Vulpius, Heynius, *uxorem* intellexerunt *futuram*: quae vocis significatio usu et auctoritate aliorum poetarum affatim probatur (conf. Propert. I. 2, 19. et quos locos attulerunt Broukh. et Dissenius): alii contra, ut Vossius, Dissenius, Gruppius (l. l. p. 62.), Jacob (de usu num. plur. p. 10.) *uxorem* vi propria dictum opinati sunt. Equidem quamquam nec nego, Vossium rationibus ad firmandam suam sententiam usum esse non contemnendis, et tot virorum ornatissimorum consensu flector, persuadere tamen mihi non possum, Cerinthum, cum haec vota faceret, maritum fuisse Sulpiciae. Etenim haec vota magnum quidem Cerinthi in coniugem amorem ostentassent, sed simul suspiciones intulissent uxoria fide prorsus indignas: quod mihi ab admirabili totius loci mollitudine abhorrere videtur. Nec me adducunt, ut aliter sentiam, verba illa, quae puella (l. IV. c. 10.) acerbo falsae suspicionis dolore concitata iactavit. Verum ut dissensiones virorum doctorum quodammodo saltem componantur, iuvat rem ita expedire. Poeta natalem amici celebraturus, quo est in eum animo affectus, optat et fingit, hoc ipso die fore, ut Cerinthus, quod toties ardentissime concupiverit, certo ac stabili coniugio puellam accipiat. sed haec hactenus: dicam enim de hac re alio loco. — v. 14. Fere eadem Horat. C. II. 12, 21.: Num tu, quae tenuit Achaemenes aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes cet. et Ovid. Metam. VII. 59. quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis, Aesoniden mutasse velim. — v. 17. *Vota cadunt.* Notum est, *cadere* saepe eventum seu exitum bonum malumve significare. Inde apud Propert. I. 17, 4. *vota cadentia* sunt *incassum facta.* Quapropter nisi verbo *cadere* voces *bene male, secus*, aliae id genus adiectae sunt, ex ipsa re, de qua sermo est, colligi debet, qualis eventus sit. Aliquid autem puto discriminis esse inter praesens et perfectum,

nec idem sonat *res cecidit* et *res cadit*: alterum videlicet valet: die Sache kommt zur Entscheidung: alterum die Sache ist entschieden. Itaque hoc loco si qui verba *vota cadunt* explicant *ad eventum perducta sunt* (velut Gruppius l. l. 43. Euer Gelübd' ist erfüllt. et pag. 63.), ipsi viderint, quo iure id faciant. Si *vota ceciderunt* i. e. si Sulpicia iam uxor Cerinthi est, nonne ineptum est optare, ut *amor flava coniugio vincula portet* sive ut matrimonio illa cum iuvene iungatur? Nuptiarum enim laetitiam croceis istis vinculis designari, apparet (conf. Plin. h. n. XXI. 22. extrem. et vet. enarrator Iuven. Sat. VI. v. 225.). Hunc igitur scopulum ut viri docti devitarent, plerique coniecturam Guieti et Heinsii *viden' ut* (conf. II. 1, 25.) certatim amplexi sunt, non modo Vossius et Dissenius, sed etiam Broukhusius, Heynius et Huschkius. Vulgata tamen propugnatores nacta est gravissimos Wunderlichium et Lachmannum. Heynius *utinam* paucis reiicit: Dissenius acrius instans requiri ait rationem, unde concludat poeta, rata fore vota: quod si *utinam* legeretur, repente ac praeter exspectationem novum votum fieri. esse etiam ieiune dictum: *utinam strepitantibus alis advolet Amor.* Gruppius artificio interpretandi difficultatem quodammodo delusit. Equidem in voce *utinam* non haesi: quippe enim, poeta paullo ante deum fecerat annuentem: adhortatus erat iuvenem, ut rogaret: scire se dixerat, quae Cerinthus vota animo agitaret: velle nimirum matrimonio cum puella iungi: his dictis subito addit: *Vota cadunt* i. e. hoc ipso die natali vota ad exitum perducuntur (ietzt kommen sie zur Entscheidung): quidni apte illa adiungantur: utinam Amor advolet strepitantibus alis portetque flava coniugio vincula, sive demto orationis ornatu: utinam hoc die Sulpiciam uxorem ducas. Nam incerti amores pleni sunt suspicionum et curarum. at felices ter et amplius, ut Horatius dicit (I. C. 13, 17.), quos irrupta tenet copula nec malis divulsus querimoniis suprema citius solvet amor die. Coniectura Italorum *trepidantibus,* cui Broukhusius et Huschkius applauserunt, dubitanter accessit Heynius, mihi vehementer displicet, quamquam non ignoro et apud Ovidium (Metam. I. 506.) prope eadem verba legi et voce *trepidare* saepe agilitatem vel festinationem celeremque motum significari (vid. Gronov. ad Liv. XVII. 1.) atque Genium seu Natalem parvum deum fuisse (vid. Broukh. ad h. l.): verum qui loci ad tuendam illam scripturam proferuntur, eos si paullo diligentius examinaveris, facile intelliges, nihil ad hunc locum pertinere. Hic ipse alarum strepitus, quem amor advolans edit, augurium est laetissimum. Celeritatis autem vis, nisi fallor, ipsis verbis *strepitantibus alis advolare* expressa est. — v. 21 et 22. *Hic veniat Natalis avis prolemque ministret, Ludat et ante tuos turba novella pedes.* Scriptura variat. pro *hic* legitur in aliis libris *huc* aut *haec* et pro *veniat* etiam *veniet.* Nicolaus Heinsius de coniectura dedit: *huc venias Natalis avi ...... ministres*, eique consentiunt Heynius, Huschkius, Dissenius, sed ita, ut *veniat* — et *ministret* conservent. Qui scripturam *hic* germanam duxerunt, explicant: iam prole parata, cum aetate ita provecti eritis, ut avi appellemini, hic natalis vobis redeat. At *veniat* ipsum non valet *redeat.* Frustra Heynius affert Tibull. I. 7, 64.: (candidior *semper* candidiorque veni) et Ovid. V. Trist. 5, 14. (opto, candidus huc venias): quorum locorum similitudo sane exigua est. Deinde mire dictum foret: hic Amor signa certi matrimonii *avis* afferens veniat prolem-

que ministret: quod ὕστερον πρότερον iure reprehendit Dissenius. Adiici etiam debebat pronomen *vobis.* Quod si *avi* hoc loco essent Grosseltern, interpungendum saltem esset: Hic veniat Natalis, avis prolemque ministret. *avos* autem intelligerem parentes Sulpiciae et Cerinthi. Etenim ex carminibus sexto et octavo libri quarti colligi potest, hoc coniugium aversatos fuisse parentes, matrem certe Sulpiciae. Inde non absurdum foret coniicere, *avorum* mentionem factam, ut spe prolis ex hoc matrimonio futurae animi parentum conciliarentur, parentesque Sulpiciae quidem prius, quam ipsum Cerinthum, pietatis caussa commemoratos esse. Verum enim vero tota haec interpretandi ratio mihi displicet. Postquam poeta optavit, Amorem strepitantibus alis advolantem crocea afferre vincula, consentaneum erat addere, *hoc sit augurium, quod tibi natali die detur.* Constat, *avem* saepe poni pro augurio, praesertim in nuptiis celebrandis, in quibus aves consulebantur; unde Catull. 61, 20.: bona cum bona alite virgo. Vid. Loers. ad Ovid. Heroid. ep. II. 116. Itaque nihil sane excogitari possit, quod et ad verba, quae supra leguntur, *venit Natalis ad aras* et ad rem totiusque loci, de quo modo diximus, suavitatem tam appositum sit, quam id, quod Heinsius refinxit, *hac veniat Natalis avi*: quibus verbis aptissime adduntur illa: *ludat et ante tuos*, Cerinthum autem poeta dicit, *turba novella pedes.* Pro *et* maluit Heynius scribi *ut*, quod legitur in libro Ursini: suffragantur ei Huschkius et Dissenius. Ac Dissenius quidem, cum mutatum esset subiectum, copulam *et* duriorem, finalem particulam nervosiorem esse arbitratus est. Mihi particula *ut* sententiis more prosae orationis inter se iungendis aptior videtur esse, particula vero *et* i. e. *und so* orationis poeticae nitori magis accommodata.

Eleg. III. v. 3. *Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros.* His verbis Dissenius ait vernum tempus sive mensem Aprilem indicari (conf. Ovid. Fast. IV. 125 sqq.). Atque sententiae inter se ita cohaerent: puella mea urbe relicta rus se contulit: iam enim ver adventavit. pro his poeta ornatius dixit: nunc ipsa iam Venus in agros migravit. Haec plana sunt. at illud iam difficilius est decernere, num *latos agros* legendum sit an *laetos*, quam veterum librorum scripturam Muretus enotavit. Nam quod infra v. 65. *agri tristes* appellantur, quis est tam tardus, quin caussam intelligat, quamobrem agri reapse laeti ibi *tristes* vocentur? Nec opus est, ad Horatii verba (Epist. I. 10, 23.) provocare, ut planum fiat, scripturam *latos* ipsam per se probam esse: nemo enim neget, *agros,* ubi urbi quamvis amplae, moenibus tamen circumdatae opponantur, *latos* commode dici. Adde, quod Veneri choros verno tempore ducenti εὐρύχοροι ἀγροὶ grati et iucundi sunt. Apud Horat. C. III. 11, 9. Dacierii *laetis* probari nequit (conf. Fr. Lubker. ad h. l.). at I. 12, 57., cum magnitudo imperii maiestatem Augusti augeat, potius est *lato orbi.* Verum mollitiem huius loci decet dulcedo imaginis, quae nascitur epitheto *laetus.* Interpretatio Dissenii, qui *laetos* explicat *virentes*, non abhorret illa quidem a re et veritate, sed sensum poetae melius, nisi fallor, assequaris, si ita interpreteris, ut hanc ipsam herbescentem viriditatem elici dicas laetitia, qua Veneris adventu agri impleantur. — v 5. *O ego cum aspicerem dominam.* Ita Lachmannus et Dissenius dederunt, auctoritate librorum permoti. Vulgata est *cum dominam adspicerem*: at plus ponderis est verbo *adspicerem*, quam voci *dominam.* Ecthlipsis *cum aspicerem* auribus ingrata non tanti

est, ut unius libri Broukhusiani scriptura *dum* alteri anteponatur, cum praesertim eadem particula et quidem alia significatione subsequatur: ad sententiam alterum ab altero haud multum differt: *dum adsp.* enim sonat, wenn ich nur erschaute: *cum adsp.* autem: wann ich anschauen könnte. Parendum igitur auctoritati librorum. — v. 6. *pingue solum* vinetum dici, apparet: nam *de arvo* paullo infra poeta loquitur. Quam temere Vossius *subigunt* in *subigant* mutaverit, facile videbis, si sententiam ita explanaris: ego sectarer aratrum, ut agricolae facere solent, dum — boves subigunt. Qua interpretatione multum abest ut enuntiatio, quae per coniunctionem *dum* copulata est, ab hypothetica sententia divellatur. Haec omnia et a verbo *sectarer* pendent, et vi eius conditionali quasi tinguntur. Iniuria igitur Dissenius Huschkio adversatur. De Vossii coniectura *curvus* iam a Dissenio refutata dicere supersedeo. *Curvum*, quo epitheto *aratri* nihil apud poetas frequentius est, hoc loco propter verbum subsequens *sectarer* commodissime positum est. *Steriles boves* (βοῦς στεῖραι Hom. κ. 522. υ. 186.) viribus valent. Inde Virgil. Georg. I. 65. Pingue solum fortes invertant tauri. — v. 9. Huschkius reprehensis iis, qui scripsissent *quererer, quum*, pro scriptura *quererer, quod* propugnavit: idque iure: sed quod negat, alterum latine dictum esse, fallitur. Quidni enim *queri* absolute poni possit? *Quererer, quum* explicandum esset: ich würde Klage erheben, wann: alterum valet ich würde klagen, dass: haec constructio usitata est. Sed si alterum praestat, alterum non est, quod barbare dictum putetur. Pro *laederet et* in aliis libris legitur *laederet aut*: illud Lachmannus, Dissenius, Gruppius, hoc Heynius et Huschkius tuentur. Equidem scripturam *et* germanam duco, quippe quae et librorum auctoritate et re ipsa commendetur. Nec enim alterutrum, sed utrumque accidere solet aratoribus: quae igitur rei necessitate iuncta sunt, cogitationis arbitrio secerni non debent. — v. 11 sqq. *pavit et Admeti — quicquid erat medicae.* Haec ita explananda sunt. Apollo amore in Admetum captus se expedire nullo pacto poterat. Cum neque ars cithara canendi aut forma quidquam ei ad conciliandum Admeti animum prodesset nec illa, qua excellebat, medendi peritia ad sanandum hoc vulnus valeret (conferat. Propert. II. 1, 59.) abiecto pudore deus praeses Musarum non veritus est ad servilem operam descendere, pascere greges Admeti, rusticari. — v. 15 sq. Locus est mutilus et corruptus: pentametrum subdititium esse, inter omnes constat: quae sententia fuerit, dispici potest, verba scriptoris restitui non possunt. Num de aquatione sermo fuerit, quae erat Aurispae opinio, admodum dubium est: nimium tribuit Aurispa simili loco Virgilii (Eclog. IX. 23.). Sed cum Tibullus versibus subsequentibus de inventione lactis coagulandi et casei conficiendi loquatur, multo est verisimilius, eo, qui intercidit, loco de mulctu aut de lactis fructu mentionem factam. In commemorandis istis rebus levioribus licet non mireris poetam immoratum esse: opponuntur enim maioribus illis muneribus, quibus Apollo prius, quam ad haec humilia rusticorum negotia operam contulisset, praeesse solitus erat: oratio tamen impeditissima totum hoc distichon suspectum reddit. Etenim infinitivus, nisi aut in pentametro aut, si plura exciderunt, in versu proxime superiore *dicitur* aut *fertur* positum fuisse statuas, non habet, unde aptus sit. Pentameter etiam numerorum vitio laborat: ad quod vitium tollendum Muretus emendavit *mixtis*, Lachmannus *mixtu*

subriguisse: quae vox qua auctoritate nitatur, nescio. Si quid in hoc versu complorato mutandum putarem, coniicerem: Lacteus et mulctris obriguisse liquor (conf. Calpurn. Eclog. V. 65. III. 66.). At totius sententiae conformatio pessime neglecta ab omni emendandi conatu absterret. Ut enim particula *et* hoc loco valeat »und so fort«, quod tamen Dissenius merito aspernatur, qui possit infinitivus *obriguisse* ex eodem verbo *fertur* pendere? Quid tamen istuc? *fertur Apollo docuisse — et liquor obriguisse*? scribendum saltem erat: et tum primum obriguisse liquor. Tantam componendae orationis inscitiam nemo erit qui Tibullo dignam ducat. — v. 30 sqq. In his distichis Dissenius (vide proleg. p. 84 sq.) reprehendit anaphoram. mire enim res inter se dissimillimas componi, vitulum gestatum et carmina boum mugitu rupta, templa deserta et capillos neglectos. Equidem non invitus concedo, totius loci compositionem laborare: sed anaphorae usum puto quodammodo defendi posse. Atque de superioribus distichis, in quibus vox *quotiens* geminata est, res facili negotio conficitur. Demto enim orationis ornatu apparet hanc esse sententiam: Apollo *negotia pastoritia* (conf. I. 1, 29 sq.) *strenue obiit*, ita ut saepe et vitulos humeris gestaret et inter ipsa armenta carmina caneret. Utrumque valde abhorruit a persona eius dei, qui arcum fulgentem (vid. Hor. C. Saec. v. 32.) humero gestare et inter Iovis coenam lyra canere (Hor. C. I. 32, 16.) solitus erat. Quapropter quae his ipsis rebus contraria sunt, humilia dico pastoralis curae negotia, apte hoc loco componuntur. Multo ad explicandum difficilior est ratio anaphorae, quae est in subsequentibus distichis. Quid enim res iis explicatae simile aut commune habent? Dicam. Est dolor, quem neglectum ab Apolline et ingenii et corporis decus commovet. dolent enim ii, qui oraculum sciscitaturi desertum illud invenerunt et infecta re domum revertuntur: dolet etiam Latona, inornatum filii capillum conspicata. Atque utraque re, et vaticinandi arte et corporis forma, imprimis crinibus Apollo gloriatus est: quam gloriam Iuno apud Lucianum (Dial. deor. XVI.) ridet. Quod si scriptum esset in hunc modum: saepe doluit irrita turba ...... saepe doluit Latona, offensio anaphorae, quae Dissenio intolerabilis visa est, magna ex parte sublata foret. Restant alia, quae in disceptationem veniant, sed leviora. In versu namque quinto decimo Heynius et Huschkius tuentur scripturam plurimorum librorum *tunc*: Lachmannus vero, Dissenius, Gruppius alteram *tum*. Cum poeta inventionem harum rerum Apollini tribuat, mihi *tunc* magis, quam *tum* probatur: est enim fere *tum primum*. — Versu undevigesimo Heynius, Huschkius, Lachmannus, Dissenius ad unum omnes dederunt *dum*, repudiata altera scriptura, quae paucorum librorum est, *cum*. Recte quidem grammatici docent, *dum* plerumque indicativo verbi iungi: qua de caussa Huschkius operam dedit, ut usum coniunctivi hoc loco positi auctoritate aliorum scriptorum firmaret (adde Tac. ann. VI. 19. et conf. omnino Hand. ad Tursell. partic. Tom. II. p. 305 et 312 sq.). Res est manifesta. Dici potest *dum canit*, quod praesens persaepe est historicum quod vocatur; *dum canebat* (so lange er sang); *dum cecinit*, ubi temporis spatium quasi cogitatione circumscriptum tenetur (so lange oder während er gesungen hat): denique, id quod hoc loco legitur, *dum caneret* (wenn er einmal oder wenn er gerade sang): cui coniunctivo ea vis est, ut res a sensu tota ad mentem et cogitationem revocetur. — *trepidis rebus*,

velut apud Horatium (III. C. 2, 5.): vitamque sub divo et trepidis agat in rebus: ubi vid. annot. Mitscherlichii. In versu vigesimo et altero scriptura variat: in multis enim iisque bonis libris legitur *a*, in aliis non deterioribus *e*: alterum est von den Tempeln her: alterum aus den Tempeln: atque in intimis locis seu penetralibus responsa dabantur; inde apparet, utrum potius sit (conf. Huschk. ad h. l.). *Duces* sunt principes, qui antiquis temporibus oracula adibant: *turba* comites officii caussa iis additi. Sophocl. Oed. Tyr. v. 7514. *πότερον ἐχώρει βαιὸς ἢ πολλοὺς ἔχων ἄνδρας λοχίτας οἷ᾽ ἀνὴρ ἀρχηγέτης* Liv. 42, 15. ubi de Eumene oraculum consulente narrat, primo a mari, inquit, circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat cet. — v. 25. *Crinesque solutos* conf. Hor. III. C. 4, 12. *Coma*, quae est huius vocis significatio, apte opponitur capiti inornato solutisque crinibus. — v. 30. Alibi *militant* Veneri (vid. Hor. III. C. 26, 2. Ovid. Amor. I. 9, 1.), cuius imperia quamvis plerumque mollia sint, saepe tamen non iniuria *dura* vel *saeva* vocantur. Hoc loco, ut acute vidit Dissenius, poeta *servire* scripsit, quia Apollo tum in servitute erat. — v. 31. Nemo infitias eat, repetitum *est* insuave esse, praesertim cum ita collocatum sit, ut et tertii pedis caesuram et ultimi pedis thesin teneat (vide Grupp. l. l. p. 81.): atque a paucis libris abest. Obtemperandum tamen cum codicum auctoritati tum Dissenii praecepto haud inani (vide eius annotat. ad I. 1, 34.). — v. 33. *At tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperitat, nostra sint tua castra domo.* Verba *tristi fronte Cupido imperitat* opposita sunt iis, quae paullo supra leguntur: *sed cui sua cura puella est*: hic enim amat et amatur: ille mutuo amore caret. Numeris versus hexametri aures fastidiosiores non admodum delectentur: respuant etiam ista *quisquis is es*: ac profecto nemo haec mihi pro tersis et expolitis venditet: at pro deploratis non habeo. Varia scriptura est haecce. In paucis libris est *tristi cui*: quae scriptura numeris quidem nihil prodest (conf. Huschk. ad h. l.), sed cum in adiectivo *tristi* caput sit rerum inter se oppositarum, facile illa videatur potior esse. Verum vox *tristi* sedem suam obtineat, necesse est. Verba enim *quisquis is es* adiuncta et quasi per parenthesin posita sunt. Deinde *imperitat* est incerti auctoris: in libris plerisque reperitur *imperat ut*: in paucis *imperat in*. Verba *At tu, quisquis es* aliis quoque poetis usurpata (conf. Burmann. ad. Ovid. Metam. I. 679.) nihil habent offensionis: requiritur tamen, quod ex pronomine *tu* aptum sit. Si legitur *imperat ut*, manifestum est, nonnulla excidisse, in quibus verbum, quod iungeretur cum pronomine *tu*. At haec ipsa coniunctio *ut* commode expediri nequit (vid. Dissen. ad h. l.). Sin *imperitat* legitur, sententia integra est, praeterquam quod voces *at tu* non habent, quo referantur. Itaque Dissenius et hac offensus constructione, qualis nusquam apud Tibullum reperiretur, et miratus, quod castris illis, in quibus esset Veneris militia discenda, nihil laudis esset additum, lacunam esse statuit totumque locum talem iudicavit, ex quo intelligeretur, manum extremam huic carmini non accessisse. De qua re ei consentit Gruppius l. l. p. 95 sqq. Disputaturus de toto hoc genere in ultima harum annotationum particula hic breviter, quid ego sentiam, dicam. Non limatum hoc carmen atque expolitum esse, quisque facile concedat: sed castrorum illorum descriptionem equidem non admodum desidero. Quod interiecto hoc disticho poeta a praedicatione eorum

temporum, quibus ne deos quidem puduisset Veneri palam servire, orationem transtulit ad detestationem ferreae aetatis, qua homines avaritia ducti arma hostibus inferre quam Veneri militare mallent, id non vituperandum mihi videtur. Totum illud distichon peperit dolor, quo animus poetae cruciabatur. Itaque qui saevitiam Cupidinis experti cognovissent, ad se venire iubet eosque docet, quid molestiarum ex mutatis amantium moribus manarit. Emendationis tamen copiam facit scriptura *Imperat in nostra.* Fortasse enim legendum: *At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido Imperat*, i: *nostra sint tua castra* domo. *i* sonat *veni*, ut apud Graecos saepe ἔρχου. nec raro apud latinos poetas *ire* pro *venire* positum est: vid. Forbig. et Thil. ad Virgil. Aen. II. 375. Veni, inquit poeta, ad me: in mea domo castra tua sint, in quibus discas, quemadmodum iniquae Veneri militandum sit. Post hoc distichon ea, quae paullo infra sequuntur, *Nota loquor*, ponenda mihi videntur. Subitus, inquies, hic transitus est: non negem: sed in tali, quale hoc carmen diximus esse, noli omnia ad unguem perfecta esse. — v. 36. *praeda tamen multis est operata malis.* mire dictum est. nec quidquam ad hunc locum illustrandum ea faciunt, quae viri docti ad Eumenii orat. pro instit. schol. c. 4. congesserunt. Nihil tamen mutandum puto. Fridericus quidem Jacob ad Lucil. Aetn. v. 383. scribi iubet *onerata.* At neque *adoperta*, quae est varia scriptura, neque *comitata*, etsi passiva vi non infrequens est, probari potest. Sententia enim postulat, ut haec mala nascantur praeda i. e. praedae studio. — v. 38. *hinc cruor*, *hinc caedes.* Pro *cruor* in nonnullis libris est *furor*, in aliis *amor*, quod Heynio potestatem fecit coniiciendi *Hinc amor*, *heu*, *caedis.* Verum vulgatam satis iam muniit Oudendorpius. Hom. Il. XI. 163.: ἐκ τ᾽ ἀνδροκτασίης ἐκ θ᾽ αἵματος. recte: nam caede virorum sanguis profunditur. at non minus apte dicitur *cruor caedesque*, quorum alterum *vulnera* spectat, alterum *necem.* — *mors propior* Horat. C. I. 3, 32.: semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum. conf. supra I. 10, 4. — v. 39. *vago ponto.* Epitheton immensitatem alvei, intra quem haec moles aquarum fluctuat, egregie declarat. Etenim fluviorum lapsus angustioribus riparum intervallis coerciti sunt, maris contra fluctus propter magnam litorum distantiam quasi errare ac vagari videntur. Inde apud Ovidium Met. VIII. 595.: o proxima caelo regna vagae sortite tridentifer undae. Luc. Phars. V. 613. sonat Ionio vagus Hadria ponto. *dubias* autem rates vocat, quia confidere iis non licet, quippe quae iactatae facile evertantur; quapropter eaedem instabiles dicuntur. Simili modo Ovid. epist. ex Pont. IV. 3, 32. fortunam dicit summum *dubio sub pede* semper habere orbem. — v. 42. *Ut multa innumera iugera pascat ove.* in aliis libris legitur *multa iugera*, in aliis *multo iugere*, in plerisque *innumera ove*, in perpaucis *innumeram ovem* aut *innumeras oves.* Lachmannus auctoritatem codicum secutus est, nuper tamen, ut Gruppius quidem testatur, pro *pascat* emendavit *carpat.* Vossius de excerpt. Pocchi dedit: *ut mille innumera iugera pascat ove*, immemor, quam male numerus finitus *mille* infinito iugerum conveniat. Heynius, Huschkius ac Dissenius reposuerunt: *ut multo innumeram iugere pascat ovem.* Usum singularis numeri verborum *multo iugere* et *innumeram ovem* illustrarunt Dissen. (ad I. 3, 28.) et Huschkius. Illud quoque certum est, *iugere* posse defendi, cum veteres dixerint *iugeribus.* Apud Ciceronem in Verr. l. III. 47, 42.

Zumptius quidem *iugero* restituit, idque iure: sed iccirco non continuo reiiciendum erit *iugere.* Praeterea Dissenius alteram scripturam aggreditur et ab insolentia locutionis *iugera ove pascere* et a sententiae perversitate. coemi enim a praedatore pascua, non ut a gregibus depascantur, sed ut ali et haberi possint quam plurimae oves. Heynius alteram scripturam, cuius numeri ipsi auribus ingrati essent, errore librariorum satam opinatur: sed idem sensit, posse illud videri exquisitius dictum. Equidem fateor scripturam *multo innumeram iugere pascat ovem*, non uno nomine commendari: sed cum infra 5, 25. vaccae *pascant* herbosa palatia i. e. *depascant*: id quidem concedi debet, non dissimilem esse locutionem *iugera ove pascere* i. e. abweiden lassen: velut apud Horatium (Serm. I. 5, 79.) *doceat* positum est pro *docendos curet.* Abhorrent sane haec et alia huiusmodi a consuetudine loquendi et vulgari sermone, poeticam tamen elocutionem non dedecent. quid vero? si quis diceret: er wünscht unermessliche Weideplätze zu besitzen, um sie durch seine unzähligen Heerden abzuweiden, nonne intelligeremus, ad innumeros greges alendos tantum pascuorum eum velle possidere. Quod si ita est, Disseniana certe ratio non ea est, quae scripturam plurium librorum consensu firmatam subvertat. Quid, quod haec ipsa locutionis insolentia aptissima est ad declarandam indignationem, quam insatiabilis avaritia huius praedatoris movet: simili modo nobis dicere licet: der zehrt uns mit seinen vielen Pferden noch den letzten Haber auf. — v. 43. *Cui lapis externus curae est urbisque tumultus Portatur validis mille columna iugis. Cui*, ut saepe ὅς, valet *er, dem.* dicit autem praedatorem. *lapis externus* est columna marmorea (confer. Horat. II. 18, 3 sq.), quae per urbem vecta dicitur *tumultus urbis*: vide Tacit. Annal. I. 75. ibique annotat. Ernesti. et Plin. Panegyr. C. 51. — *mille iugis.* scriptura *multa columna* per se bona ac proba, quoniam paullo supra legitur *multa iugera*, alteri cedat necesse est. Senec. ep. 90.: nec in hunc usum, inquit, pinus aut abies deferebatur *longo vehiculorum ordine* cet. Quod est in quibusdam libris *urbique*, etsi non raro dativus pro genitivo ponitur, tamen cum proxime positum sit *cui*, non magis placet, quam scriptura *tumultu*, qui ablativus defendi quidem potest, sed multo minus viget, quam nominativus. Est autem *tumultus* docte dictum pro *caussa tumultus*: valet fere die Ruhestörung der Stadt. audito nimirum fragore cum vici quaterentur, par erat, cives metuisse, ne domus vicis imminentes collaberentur. Ceterum *cui* et ex verbis *curae est* et ex verbo *portatur* aptum habet aliquid offensionis (conf. Tac. Hist. I. 37. extr.), quam facile summoveris, si *curae est* vi verbi passivi explicaris. — v. 46. *Negligat piscis adesse.* Horat. I. C. 28, 30.: negligis — fraudem committere? Significat autem *negligere* prope idem, quod *contemnere* (sich nicht darum kümmern) velut Horat. Epod. 4, 15. — v. 47 sq. *At tibi laéta trahant Samiae convivia testae* cet. Res hoc disticho commemoratas viri docti satis illustrarunt. Sed cum in Excerptis Scaligeri scriptum sit *at mihi*, utrum legendum sit, disceptatur. Broukhusius et Vulpius rati eum intelligi, quem in suis castris poeta militare iussisset, *tibi* legerunt. Heynius puellam dici existimavit: cui assensus Dissenius, Tibullus, inquit, se simulat credere, Nemesim istam luxuriam aversari: mox tamen sentit, longe secus esse. Iusto breviorem in hac re poetam fuisse, ipse Dissenius non diffitetur. Ac profecto si

huius loci brevitas cum proxime superioris copia comparetur, non potest non videri nimia. Tantum quod poeta continentiam puellae spe et animo haustam vilitate vasorum quorundam significaverat, cum ad increpandam puellae avaritiam et perfidiam adsiluit. Qua re commotus Huschkius etsi retinet scripturam *At tibi,* propensior tamen est ad tuendam alteram *At mihi.* Sic enim et praedatoris opulentiae paupertatem ait Tibulli opponi et quam molestiam eadem illa verba *At tibi* paullo infra (v. 61.) repetita afferrent, eam omnem depelli. Ergo de Huschkii opinione sententia totius loci haec foret: at ego pauper et paucis contentus sum: verum quoniam video, puellam meam avaram esse, ego quoque quamvis invitus ad capessendam praedam me accingam, non ut mihi divitias comparem, sed ut habeam, quibus opibus puellae aviditatem expleam. Haec et ad ea, quae supra de praedatore dicta sunt, apte composita esse et inter se optime cohaerere, negari nequit. Nec moror coniunctivum *trahant*: quidni enim commode dicatur: wie gerne brächte ich ohne allen Prunk meine Tage zu: sed intelligi poeta vult, sibi id non permitti, quippe cum puella divitiis inhiet. Simili modo apud Horatium L. I. 31, 15. *me pascant* explicari potest »es mögen mich ernähren« — dummodo videlicet tu frui paratis et valido mihi dones et integra cum mente cet.: aptior tamen est indicativus *pascunt*, quo posito intelligis Horatium de vitae cultusque consuetudine loqui. Idem dici potest de hoc loco, in quo interpretando versamur. Nec, si ea quidem, quam supra explicavimus, his verbis subest sententia, dubium est, quin praeferendus sit indicativus. Verum enim vero si totius loci compositionem diligentius consideraveris, facile videbis, hoc loco omnino non id agi, ut Tibulli paupertas cum luxuria divitis illius hominis comparetur, sed aliam esse caussam, cur poeta paupertatis suae mentionem fecerit. Atque ad hoc unum summa totius loci referenda est. Optat nimirum Tibullus, id vitae genus puellae placere. Inde apparet, et quamobrem coniunctivus positus sit et quam prudenter sit epitheton *laeta* additum. Hac enim laetitia, qua ipsius paupertas abundaret, luxuries illius hominis careret, animum puellae allicere tentavit. Ad quae verba quis non meminerit loci illius Horatiani (C. III. 1, 19.): destrictus ensis cui super impia cervice pendet, non Siculae dapes dulcem elaborabunt saporem cet. Offendit sane, quod poeta Nemesim, quam nondum nominavit, pronomine secundae personae alloquitur quodque iisdem verbis paullo infra praedatorem compellat. Illud Dissenius alio loco huius haud dissimili (I. 8, 27, 69.) defendit vel potius excusavit: hoc nullo pacto defendi vel excusari potest: nec necesse erit, si semel nobis erit persuasum, hoc carmen aut a poeta non esse elimatum aut temporum iniquitate corruptum. V. 59 sq. Hoc distichon, ut supra dixi, arbitror ponendum post versum tricesimum quartum: quod postea cognovi etiam Gruppio (l. l. p. 99.) placuisse. Tum vero sententiae hac ratione inter se nexae colligataeque forent: postquam poeta fassus est, sibi quoque tristi fronte Cupidinem imperare, convocatis, quibus idem evenisset, in suam domum tanquam in castra, in qnibus molestias militiae Veneri dicatae percipere possent, *Nota,* inquit, *loquor* i. e. cognita et experta (Allbekanntes). Prop. III. 13, 6.: Certa loquor, sed nulla fides. Tum addit: *regnum ipse tenet, quem saepe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.* Manifestum est, opposita esse *regnum* et

signa *servitutis.* Atque *ipse* i. e. *gerade der* est haud dubie rivalis Tibulli. Verum etsi is utique his verbis denotatur, id tamen in omnes eiusdem generis homines quin dictum sit, non dubito. Itaque hanc puto subesse sententiam: hodie vel deterrimus quisque et sordidissimo loco natus, dummodo dives sit, plurimum apud puellas valet. His dictis poeta monet, quot mala ex avaritia sive praedae studio fluxerint eaque breviter recenset. Tum vero indignabundus: at quid tandem, inquit, ut assequantur, isti praedatores tot vitae pericula ac rerum discrimina subeunt? Ut scilicet latifundia possideant, magnifice aedificent, piscinas habeant, suas denique insanas cupiditates expleant. Quis non videt, quam apte haec quamque sapienter cum iis, quae sequuntur, composita sint? Etenim postquam poeta non sine laetitiae commendatione, qua puellae animum alliceret, suam illis opibus paupertatem comparavit, iam deposita omni simulatione fassus sese cognosse, plus apud puellam hominis istius divitias, quam suarum fortunarum mediocritatem valere, se quoque dicit praedandi caussa militaturum, non ut ipse locupletetur, sed ut puellae instrumenta luxuriae possit suppeditare. Quae quam sint ad commovendum puellae animum accommodata, nemo erit, quin sentiat. Dum ipse sese omnia facturum esse pollicetur solo amore erga puellam ductum, praedatorem avaritiae tantummodo et luxuriae suae inservire affirmat. Veruntamen Tibullus se divitem esse optat, ille rivalis dives est: inde novae irae; quibus accensus poeta et hominem istum omnibus precibus (conf. Valer. Cat. diras vv. 8 sqq.) detestatur et ruri ipsi agrorumque copiis succenset, quippe quibus factum sit, ut Nemesis sibi abduceretur. Vilem igitur priscorum hominum victum cultumque, dummodo consuetudine puellae frui ipsi liceat, omni lautitiae isti anteponit; quin, hoc ut assequatur, ne durissimam quidem servitutem servire recusat. Hoc modo haec mihi quidem inter se videntur cohaerere (at conf. Grupp. l. l. p. 99.). — v. 61. *At tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe, Persolvat nulla semina certa fide.* Sic dedit Lachmannus. Pro *qui* in aliis libris reperitur *quae* et ita inde ab Aldo divulgatum ait Lachmannus: pro *abducis* legitur in codic. Parisin. *abducit*: *certa* Puccii est, in aliis iisque bonis libris legitur *terra.* Memorabilis denique coniectura est Heinsii *Ceres.* Hac igitur emendatione ascita variaeque scripturae delectu habito Heynius et Dissenius haecce concinnaverunt: *At tibi, dura Ceres, Nemesim quae adducis ab urbe Persolvat nulla semina terra fide*: quibus consentit Huschkius, nisi quod *Nemesin* scripsit. Agitedum ea diligentius consideremus. *Segetem* saepe pro agro, qui conseri possit, positum esse nemo ignorat. conf. Voss. ad Virg. Georg. IV. 1, 29.: nec pecori opportuna seges nec commoda Baccho. vid. supra I. 9, 35. *Dura* igitur seges foret *durum arvum*: quod si proprie dictum est, quid sonet, intelligitur. Atque Vulpius epitheton *dura* putat propterea delectum, ut esset, quod opponeretur *tenero Baccho*: de qua re Dissenius (vid. eius annot. ad h. l.) valde dissentit. Vulgata scriptura *terra* cum verbis *dura seges* conciliari nequit; quid enim istuc, *dura seges persolvat nulla semina terra fide*? Quod cum esset manifestum, Heinsius emendavit *Ceres*: atqui necessario hanc deam commemorandam fuisse, Dissenius et Gruppius censuerunt; subsequi enim nomen Bacchi, cum quo Ceres componeretur. *Duram* autem Dissenius existimat

deam appellari, quia in abducenda puella operam praestiterit: nam in ipsos deos huius facinoris auctores et adiutores poetam, non in praedatorem invehi. Haec ille. At si Ceres propterea, quod amatori illi in abducenda Nemesi operam navarit, *dura* appelletur, miror, Bacchum, qui si non in maiori, certe in eodem crimine esset, non eodem aut simili epitheto notatum esse? Atqui tantum abest, ut poeta ei maledicat, ut iuventutem eius praedicet. Religione, credo, tactus poeta cavit, ne Bacchum, deum poetis amicum, laederet. Sed id mitto: est aliud, quod mirationem faciat. Saepe quidem poetae immodicos animi dolores ita depingunt, ut homines maxima in ipsos deos probra coniicientes faciant, velut IV. 4, 14.: dicit in aeternos aspera verba deos. conf. II. 6, 18. III. 5, 14. Quae temeritas vel potius dementia etiamsi ab hominum superstitiosorum, quales veteres erant, ingenio et moribus non aliena est: inepte tamen loqui homines ne sic quidem affectos decet. Quid est autem ineptius, quam punitos velle deos (vid. Dissen. ad h. l.): quae enim ista poena? Num Ceres et Bacchus malo frugum fructuumque proventu plecti poterant? Immo vero omnia incommoda ad aratorem pertinebant: is ex frugum copia aut inopia coniiciebat, num di sibi propitii an aversi essent. Penes Cererem et Bacchum annus erat (conf. Hom. Hymn. C. 30, 5 sqq. Callimach. Hymn. in Cerer. vv. 136 sqq. Ovid. Met. V. 477. Horat. C. S. vv. 30 sqq.). Etiam infra poeta precatur, ut Bacchus lacus hominis illius sibi invisi relinquat. Itaque di relinquunt vel deserunt tecta, arva, vineta, alia huiusmodi; iidem laetantur felici munerum suorum ubertate: dolent, si ipsorum quasi regna insigni aliqua calamitate affliguntur: sed ipsos deos his casibus puniri vel mulctari, num veteres unquam opinati fuerint, dubito. Verum fortasse nimis urgeo; quod *puniri* dixerunt interpretes illi, *dolere* valet. Ergo poetam volunt devovisse agros rivalis et vineta, ut Ceres et Bacchus ipsi amisso omni proventu dolerent. Video. Sed quid verbis fiat *devotos, Bacche, relinque lacus*: nonne dicendum erat: *te* Bacche relinquant lacus seu destituant, ut supra dictum est *At tibi, dura Ceres, persolvat* cet. Noli autem putare, *relinque* hoc loco dictum esse, ut apud Virgil. Georg. IV. 326.: En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem te matre relinquo. Quae cum ita sint, equidem consentio, haec in amatorem puellae dicta esse. Idem sentit Gruppius (l. l.). Nec dubium est, quin ita hic locus explicandus sit: ut enim sibi poeta largam praedam obtingere, ita rivalem omnibus incommodis affici vult. Quod vero scribitur *abducis*, id mihi neque in *Cererem* neque in *amatorem* quadrare videtur: erat enim *abducta* puella neque *abducit* valet *abduxit* aut *retinet*. acerba autem foret irrisio, si dictum esset: *segetem fuisse, quae puellam abduceret* i. e. puellam non amatorem, sed eius divitias secutam esse. Et erat iste amator dignus tali puella, ista puella digna tali amatore. Quam autem hoc sive facete sive acerbe dictum iis conveniat, quae leguntur I. 9, 49. et in hoc carmine paullo supra (v. 35.), manifestum est: quadecaussa non dubitem legere: At tibi dura seges, Nemesim quae abduxit ab urbe, Persolvat nulla semina certa fide. Verba *seges nulla fide semina persolvat* plana sunt. conf. Horat. Epist. I. 7, 87.: spem mentita seges sed egregie *certa* et *nulla fide* inter se comparata sunt, ut vis et effectus exsecrationis cernatur. Quod sequitur *Et tu, Bacche tener,* cum modo eodem pronomine

dives ille amator compellatus sit, valde displicet (conf. etiam Grupp. l. l.): caussam vero, cur nomen Bacchi repetitum sit, facile perspicias. Est enim Bacchus laetitiae auctor, qui ubi adest, ut Goethius dicit, Venus illico subsequitur. — v. 65. *tristibus agris. tristes* hoc loco explicare licet wo man versauert: opponitur agrorum tristitia luci urbis: stomachanti scilicet poetae tristes agri videntur et dicuntur, qui iidem, si ei copia esset visendae puellae, laeti ac grati forent. — v. 75. Quae hexametri sententia fuerit, ex pentametro intelligitur: verba Tibulli nemo coniectura assequatur: opiniones virorum doctorum recensuit Huschkius ad h. l. Idem Scaligeri coniecturam *copia nulla videndi* rationibus sat idoneis refutavit. sed res est manifesta: quoniam poeta cum puella esse non poterat, videndi eam sibi interdum fieri potestatem cupit ac propterea animo ad tolerandum servitium promto ac parato se duci iubet. —

Corrigenda. Pag. V l. 9 pro *tu* lege *tua*. Pag. XXI infr. l. 6 pro potest lege *potest*.

Zu der öffentlichen

Prüfung der Zöglinge

des hiesigen

Gymnasiums,

am 2ten und 3ten April 1844

laden ehrerbietigst und ergebenst ein

Director und Lehrercollegium.

Inhalt:

Potsdam, 1844.

Gedruckt im Decker'schen Geh. Ober-Hofbuchdruckerei-Etablissement.

Lib. II. C. IV. v. 5. *seu quid merui seu quid peccavimus, urit.* Heinsius scriptum voluit *seu nil peccavimus.* Etiam Chr. Bunsenius coniecit: Eheu quid merui? heu quid peccavimus? urit. Atque est in cod. Vindobon. heu, heu quid merui. (Vid. Lachmann. ad Propert. II, 7, 6.). Iure tamen videntur Heynius, Huschk., Lachm., Dissen. ac Gruppius vulgatam tueri. Differunt enim *merui* et *peccavi*: in *merito* est culpa, in *peccato* error. Terent. Andr. I, 1, 112 quid commerui aut peccavi? Ovid. Metam. III, 142. Quod scelus error habet? Confer. etiam Ovid. Trist. I, 2, 95. II, 1, 207. Itaque non est, cur a vulgata discedamus. — *Uror io: remove.* Itane sit interpungendum an *uror: io, remove*, dubius sum. Ovid. Heroid. V, 118: Graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque perdat: io, prohibe. Est autem *io* exclamatio et summae laetitiae et maximi doloris. Serviles cruciatus poetam ad dolores, quibus animum eius avaritia puellae afficeret, transtulisse, recte monuit Heynius. — v. 7. *O ego ne possim tales sentire dolores, quam mallem in gelidis montibus esse lapis.* Explicata sententia apparet, quae temporum ratio sit: nata est brevitate dicendi: de qua re diximus alio loco. Intelligendi difficultas est nulla. Ut apud Horatium (C. 1, 21, 6. 12, 6.) Algidus et Haemus, sic hoc loco montes *gelidi* dicuntur: suavitas loci est in oppositis: *lapis* (conf. Tib. I, 10, 59) sensus expers opponitur verbo *sentire; frigus seu gelu montium* facibus. — v. 12. *Omnia nam tristi tempora felle madent. felle madent* i. e. amara vel acerba sunt (vide Interprett. ad h. l.). Itaque quae temporis spatia hexametro distincte, eadem pentametro universe dicuntur (conf. Hor. II, 9, 10 seqq.). Est igitur manifestum, *nam* non caussalem esse particulam, sed vim habere explicandi. Est quidem Italorum coniectura *iam* valde probabilis, praesertim cum supra *nox* etiam *amarior*, quam *dies* dicatur; nec tamen propterea deserenda est continuo scriptura vulgata. Paullo aliter Ovid. Heroid. epist. 12, 169: non mihi grata dies, noctes vigilantur amarae. — v. 15. In nonnullis libris pro *non* reperitur *nil.* At illud non minus auctoritate bonorum librorum, quam aurium iudicio probatur. Accedit, quod hoc loco non tam requiritur in nichts, in keinem Stücke, quam *nicht*, cuius particulae vis omnis refertur ad verbum *prodestis*: *non prodestis* autem sonat *inutiles* idque dicit poeta. — v. 17. *Nec refero solisque vias et qualis ubi orbem complevit versis Luna recurrit equis.* Heinsius legit *nec qualis*: quae emendatio minime est necessaria. Subest enim sententia: nec refero siderum cursus conversionesque. poetarum more Tibullus rem per enumerationem partium, solis et lunae, adornavit. Sicuti vero recte dicitur: non refero cursus solis et lunae, sic recte etiam dictum est *nec refero solisque vias et qualis luna cet.* Non magis tentandus est indicativus *recurrit*: pro *solis cursum* poeta posuit *solis vias*: pro *lunae cursum* dixit refero *lunam*, qualis sc. est, cum orbe suo completo versis equis recurrit. Sed confer. omnino Dissen. annot. ad h. l. — Altera scriptura *qualis ut* cur minus, quam altera *qualis ubi* probanda sit,

docet Huschkius ad h. l. — v. 23. Libri variant: in aliis legitur *suspensa focis insignia sacris*: in aliis *suspensa sacris insignia donis*. *Insignia* intelliguntur *donaria*, quae, ut iam monuit Heynius, non in locis privatis, sed in fanis ponebantur. Itaque nec *focis* nec *donis* legendum est. Quod Heinsius coniecit *tholis* (conf. Virg. Aen. IX, 406: dona ... suspendive tholo), est haec coniectura docta quidem, multo tamen est probabilius, *fanis* scriptum esse a Tibullo: tritum est illud et usitatum vocabulum. de epitheto *sacris* confer. Lucret. V, 75: sancta tuetur ... fana. — v. 29. *Hic dat avaritiae causas et Coa puellis vestis et e rubro lucida concha mari. Haec fecere malas.* Recte Heynius et vocem *causas* et pronomen *hic* interpretatus est. Nam avaritiae *caussas dat* sonat hoc loco *auctor est* vel *facit*, ut puellae avarae sint. *hic* autem est is, qui usum lapidum et purpurae affert sive qui legit smaragdos et tingit murice ovem. Poeta pro eo, qui Coa veste et conchis puellas captat, ipsa ornamenta posuit. Sic persona rebus componitur: qui loquendi modus etsi est paullo insolentior, tamen nec novus est et ad poetae animum, quo tunc erat affectus, accommodatus. — De varia scriptura *a rubro* supersedeo dicere: conchae legebantur *e* mari. Res igitur dubia esse non potest. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 34. *ipsa canis*, ut legitur in quibusdam libris, nihil habet offensionis: at caret haec scriptura idonea auctoritate. Quam vero Heynius dicit poetarum elegantiam, ea profecto est commenticia. conf. Ovid. Art. amat. II, 574. remed. am. 422. — v. 36. *Quale bonum multis attulit ille malis.* Itali dederunt *addidit* et *abdidit*: quorum alterum Heynius vidit ineptum esse, alterum non probavit modo, sed recepit etiam. Idemque sensit Huschkius. Dissenius non recepit quidem illud, at praeclare inventum dicit. nam in dolore aut sarcasmo similitudines sonorum acerbum quoddam acumen habere. Quod etsi vere dictum est, (cf. Dem. pro cor. 280. ὅτι φεύγει μὲν τὰς ἰδίας προφάσεις, εἰς δὲ τὰς Ἀμφικτυονικὰς καταφεύγει), tamen haec viri docti ratio me non movet, ut Italorum coniecturae scripturam *attulit* posthabeam. Delectum potius hoc esse verbum puto, quod *mala ista multa* in animo insunt puellae avarae: recte igitur oppositum est *attulit*: afferuntur enim, quae extrinsecus veniunt: cuiusmodi forma est a deo avarae puellae data. Praeterea *forma* erat donum aliquod dei: dona autem et commoda aeque atque incommoda *afferuntur* potius, quam *adduntur*. — v. 37. *Hinc fletus rixaeque sonant.* In paucis libris ordo verborum mutatus est. Atque *fletus* alius est tacitus, alius cum ploratu ac conviciis coniunctus: is certe *sonat* (conf. Virgil. Aen. XI, 61: haec ubi deflevit cet.): veruntamen amantes exclusi *flere* prius solent, quam *rixari*: quocirca vulgatam scripturam obtineri oportet. — v. 38. *haec denique causa fecit, ut infamis hic deus esset Amor.* Varia scriptura est *hinc*: ex quo Broukhusius refinxit *nunc*: qua emendatione tolleretur simul vitium productae syllabae brevis. Sunt, qui eiusmodi productionem defendant vel excusent (vide Huschk. ad h. l. et interprett. ad I, 4, 44): est tamen tota res admodum dubia et incerta. Heinsius coniecit *infamis sic*, quod placuit Vossio et Bachio. At iure Dissenius dissensit: est enim *sic* male collocatum. Quid autem fiat pronomine *hic?* Quos locos Wunderlichius, Huschkius et Golberyus attulerunt, nihil omnino huc pertinent. Dissenius *hic* oppositum vult *illi* i. e. deo, qui

languidum ac molestum est: sententia postulat *sustinuit*. Nec credo, hanc manum esse Tibulli. Fortasse aut nomini parentis additum erat epitheton simile quoddam illis Virgilianis *longaevus*, *aetate fessus*, scriptumque *raptos sustinuitque lares* aut aliud verbum positum, unde *sustinuisse* penderet. Quicquid est, illud non negaveris, haec eiusmodi esse, ex quibus intelligatur, ultimam huic carmini, ut cum Ovidio loquar, limam defuisse. Scriptura *raptos* et re et Virgilii verbis (I. Aen. 378) ab Heynio allatis firmatur. *Captos lares* Aeneas *piis manibus* (Aen. III, 43) tenere non potuit, sed quos hostibus et flammis eripuisset. Post vocem *lares* maius distinguendi signum ponendum est. Nec enim, ut recte viderunt interpretes, *credebat* cum *postquam* iungendum est. Si omnia sana sunt, *nec* sonat fere *nec tamen* (doch nicht glaubte er). Scriptura *haec* haud dubie librariorum errore nata Heinsium movit, ut coniiceret *prodebat* sc. Sibylla. Nihil dicam de imperfecto: at quid fiat octo, quae sequuntur, distichis? Nam Sibyllae vaticinatio infra a versu demum tricesimo exponitur. — v. 23. *Romulus aeternae nondum firmaverat urbis Moenia consorti non habitanda Remo. Moenia* poetis usurpari pro ipsa *urbe*, constat (vid. Forbiger. ad Virgil. Aen. II, 234.). Hoc loco, cum dictum sit *aeternae urbis moenia*, hoc vocabulum vim suam tenet: quod vero additum est *habitanda*, rursus aedificia vel urbem spectat. Nec vero, cum aliud sit *moenia urbis firmare*, aliud *urbem moenibus firmare*, deerant, qui fossam et vallum urbi circumdatum intelligerent: haec enim munimenta esse moenium: lapideum murum (vid. Liv. I, 36) post Romulum exstructum esse (conf. Dissen. ad h. l.). At moenia nondum condita qui tandem fossa et vallo firmentur? Verum esto. Flor. I, 1: ad tutelam urbis vallum sufficere videbatur. Nolim tamen poetarum fabulas ad fidem historiae revocatas. Poeta Tibullus est, non historicus. Multo etiam minus Broukhusii et Vulpii interpretatio placet. Ut enim *animo aliquid formare* vel *informare* latine dicitur pro *imaginem alicuius rei animo praecipere*, ita *aliquid formare* hac significatione non dicitur. Neutiquam autem locutio *moenia formare* conferri potest cum verbis Virgilii, quae Aen. IX, 80. leguntur. ibi enim Aeneas *pineam silvam* ad formam navis struxisse dicitur. Atque haec de scriptura *formaverat*. Quod Muretus dedit *fundaverat*, per se probum est. Virgil. Aen. 260: Aeneam fundantem arces. At *moenia firmaverat* omni modo retinendum est: ornate dictum est pro *firma moenia condiderat*. Propert. III, 9, 50: et caeso moenia firma Remo. Ovid. Heroid. XVI, 179: firmataque turribus moenia (Troiae) — *consors* et bonorum possessionem (Cic. Verr. III, 23: cum ex agris tres fratres consortes profugissent), et genus sive sanguinem spectat: quamobrem poetis etiam fratres et sorores *consortes* dicuntur. Vid. Gierig. ad Ovid. Metam. XI, 346. Ceterum confer. Ovid. Fast. IV, 811 sqq. — v. 29. *vagi pastoris*. Sophocl. Oed. R. v. 1022. ποιμὴν γὰρ ἦσθα κἀπὶ θητείᾳ πλάνης. — v. 31. *Fistula cui semper*. Mitscherlichius hoc distichon subdititium iudicat: suspectum est etiam Gruppio (p. 76). Dissenius contra, suaviter, inquit, moratur poetae cogitatio in simplicitate istorum temporum. Huschkius voces suspectas *semper* et *usque* defendere conatus est. Equidem hexametrum tantum non molestum duco, pentametrum autem tam ieiunum esse video, ut facere non possim, quin Gruppio consentiam,

non accessisse istis extremam Tibulli manum. — v. 34. *ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua.* Eandem rem tetigerunt Ovidius (Fast. IV, 405) et Propertius (Eleg. IV, 9, 5). *Pulsa* Itali dederunt pro *pulla.* At vero hac quidem verborum iunctura nonne ista languent? Deinde num *pulsa* ea, qua voluerunt Itali, significatione, nude poni potest? Nam eadem vox aliis locis aliter explicanda est. Virgil. VII, 701: sonat amnis et Asia longe *pulsa* palus: certe non remis. Petron. 123, 231. Auster *pulsas* evertit aquas (conf. Tacit. Vita. Agr. cp. 11) et 89, 34 abiete imposita marmor pellitur i. e. dispellitur seu cedere cogitur, ut apud Auson. Mosell. 344 gelidum flumen *natatu.* Quamobrem scriptores prudenter *remis* addunt, velut Catull. 44, 58. Propert. III, 22, 11. Sil. Ital. 15, 301. At facile, inquit Huschkius, id e contextu elicitur. Recte, si *remorum* mentio paullo ante iniecta est: velut Propert. IV, 2, 7. Ovid. Trist. IV, 1, 9. Itaque Italorum emendatio mihi non tam certa videtur esse, quae non possit oppugnari. Nihil equidem mutare ausim: sed quidni liceat coniicere? fortasse legendum: exiguus *multa* per vada linter aqua: *multa* i. e. effusa (weit verbreitet): nisi malis: *exiguus Tusca per vada linter aqua*: nam haec vada Albulae seu Tiberis erant stagnantis. Propert. IV, 9, 5. Quo Velabra suo stagnabant flumine, quaque Nauta per urbanas velificabat aquas — v. 35. *Illa saepe gregis ditis placitura magistro Ad iuvenem festa est vecta puella die.* Illa i. e. hac via: nec enim iungendum est cum *aqua. ditis* Dissenius *numerosi* explicat: rectius Heynius non modo ad numerum illud, sed etiam ad foetum fructusque gregis pertinere dicit. Etiam nostrates cum dicunt reiche Heerde, id ita accipi volunt. Pro *ditis* Muretus reposuit *diti*: consenserunt ei Heinsius, Vulpius, Huschkius. Non dubium est, quin ita legi possit: sed fastidium istud aurium literam sibilam spernentium non curo. — *placitura* Dissenius explicat *quae cupiit placere.* Satis commode. Nam puellae ubi saltatum eunt, faciem omni modo exornant, ut viris placeant, quales etiam Goethius in Fustio notavit. Dissenius invitatam ab amatore opinatur puellam sese exiguae rati commisisse. Notum est participium futuri valere aut werden, wollen, bereit vel im Begriffe sein, velut egressurus, scripturus, aditurus aut, ut graecorum μέλλω cum infinitivo iunctum, sollen, bestimmt sein, velut Dellius moriturus, Icarus vitreo daturus nomina ponto (conf. omnino Thiel. ad Virgil. Aen. X, 811). Eam participii vim nos interdum ita flectimus, ut pro *sollen* ponamus *können*, ita ut *placitura* verti possit, die da wohl gefallen konnte, i. e. quae tam bella erat, ut magistro pecoris non posset non placere. Novas turbas interpretibus moverunt verba *magister* et *iuvenis.* Alii enim magistrum et iuvenem eundem esse dixerunt, ut Vossius et Dissenius: contra dixit Heynius. Etiam Huschkius alium esse putat magistrum, alium iuvenem. eventum ait non provisum fuisse: vectam esse puellam ad iuvenem i. e. amatorem: sed placuisse diviti gregis magistro, qui donis palmam iuveni praeripuisset. Haec ille. at eiusmodi calamitatis narrandae hic locus non erat. Equidem consentio Dissenio, sed verto: Hier fuhr gar oft ein Mädchen, das dem Besitzer einer reichen Heerde gar wohl gefallen konnte, zu ihrem Jüngling an einem festlichen Tage hin. *Magistrum* gregis non servum intelligo, qualis Faustulus ille erat, sed dominum gregis. — v. 39. *Impiger Aeneas.* Haec verba spectant sortes

paullo supra formam dicitur dedisse. Mihi pronomen *hic*, cum nomen *Amoris* subsequatur, vehementer displicet. legi malim *vel*: iam omnia expedita: poeta dicit *haec denique causa fecit* i. e. kurz, das war die Ursache, welche bewirkte, ut infamis vel deus esset Amor; dass selbst der Gott Amor in üblen Ruf kam. conf. I, 8, 53. Ovid. Amat. III, 466: Illa vel Hispano lecta sit uva iugo. — v. 40. *Eripiant partas ventus et ignis opes.* Simili modo Propert. II, 16, 43: Haec videam rapidas in vanum ferre procellas. Virgil. Aen. I, 59. quippe ferant rapidi secum verrantque per auras. Quod si hoc loco poeta solis ventis eam provinciam dedisset, scripturae *diripiantur* patrocinandum foret. At *incendio* vult et *ventis* eius vim concitantibus opes puellae deleri: rectius igitur *eripiant*. — v. 44. *moestas in exequias.* Conf. Horat. Serm. I, 8, 15. Virgil. Aen. III, 64. — v. 56. *Thessala terra gerit.* In libro Regiensi Lep. aliisque quibusdam codicibus reperitur *dedit*. Perfectum *dedit* inter praesentia *habet* et *stillat* offendit: nec ulla mutati temporis ratio excogitari potest. Vera scriptura est *gerit*. conf. Ovid. Metam. IX, 230: arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete. Virgil. Georg. II, 122: quos gerit India lucos. — C. V. v. 3. *Nunc precor ad laudes flectere verba meas.* In paucis libris quibusdam est *tuas*: quae scriptura est nihili: Messalini enim, non Apollinis laudes poeta celebraturus est. In aliis libris reperitur *ad laudis flectere verba modos*: quod Huschkius recipere non dubitavit: pro *modos* tamen mavult scriptum *melos.* Heynius negat *laudis modos* dici potuisse: scribendum fuisse opinatur *Latios*, *laetos* aut simile quid. Etiam Vossii mirum commentum *ad laudes flectere verba modis* ab Huschkio et Dissenio pridem refutatum est. Lachmannus emendavit *mea*: idem coniecerat Dissenius. Est haec emendatio sane facillima: num vero *laudes* tam nude poni potuerit, valde dubito. Mihi nihil omnino mutandum videtur. Poeta maius aliquid et gravius carmen scripturus precatur, ut Apollo ipse cum *cithara carminibusque* veniat: cui carminis exordio interpretes commode compararunt Horatianum illud: descende caelo et dic age tibia sq. (C. III, 4, 1 sqq.). *Cithara* designat cantum vel modos: *carmen* numeros ac voces. Itaque altero disticho cum dicit: nunc te vocales impellere pollice chordas, Nunc precor ad laudes flectere verba meas: idem dicit, sed paullo ornatius. pro cithara posuit *chordas pollice impellere*, pro carminibus *ad laudes flectere verba meas.* Horat. C. I, 12: nolis longa ferae bella Numantiae nec durum Hannibalem nec Siculum mare ... mollibus aptari citharae C. IV, 9, 4. Verba loquor socianda chordis. Quidni igitur Tibullo licuerit dicere: te, Apollo, precor, ut verba ad meas laudes flectas. *Laudes* praeconium Messalini dicit, quod argumentum est huius carminis. *meas laudes* autem dictum est, ut apud Ciceronem *nostra crimina* (Verr. I, 11, 29), *vulnere vestro* (pro Cael. cp. 32 extr.) conf. Ramshorn. gr. lat. p. 341 et Krüger. gr. lat. p. 456. Ad hoc igitur argumentum poeta Apollinem vult ipsum *verba flectere.* *Flectere* autem cum delectu positum puto. Nam cuius testudo grata esset dapibus supremi Iovis (Hor. I, 32, 14. Hom. Il. I, 603): qui laudes concinuisset Iovi (vid. infra v. 10), is sane dignus erat, quem poeta precaretur, ut modos vocesque ad celebrandas hominis istius virtutes deflecteret. Detrahe ornatum orationis et sententia haec erit: scripturus laudes Messalini carmen

elegicum componam, quod ad sublimitatem ac gravitatem lyricae poesis adspiret. Quemadmodum vero Horatius eo, quem supra attulimus, loco Calliopen de caelo descendere et ab ea sese doceri vult, sic Tibullus precatur, ut praesens Apollo sibi quasi verba modosque praeeat, quibus cooptatio Messalini rite ac digne celebrari possit. Ceterum de constructione verbi *precari* cum infinitivo vide, quae Huschkius et Dissenius ad h. l. annotarunt. Male igitur Vossius scripturam unius libri *nunc opus* revocavit. — v. 11. *tibi deditus augur.* Varia scriptura *debitus* tam inepta est, ut mirer, defensores eam nactam esse Scaligerum et Heynium. Huschkius vulgatam comparat locutioni *religionibus deditum esse*: Dissenius verbis Tibulli, quae l. I. c. 2, v. 97 leguntur: semper tibi (Veneri) dedita servit Mens mea. Equidem quid offensionis in his verbis sit, non video. Erat enim auguralis quaedam disciplina. *deditum* autem *esse studiis artium* locutio est usitatissima. Cum ars augurum tota esset in divinatione posita, quod munus erat Apollinis proprium, pro accurata auguralis disciplinae scientia poeta deum eius praesidem posuit. Est autem hoc loco *tibi* i. e. Apollini *deditus augur* dictum; ut apud Horatium Serm. II, 3, 105: nec studio citharae nec *Musae deditus ulli.* — v. 15. Quod iam inde ab Aldin. 1515 in libris lectum est *Sibylla est,* Heynio, Huschkio et Dissenio probatur. Atque is quidem secundum illud praeceptum, quod commentt. p. 17 multisque aliis locis tradidit, ita legi iussit, quo nomen Sibyllae sono efferretur pleniori. Nonne vero id nomen per se ipsum satis insigne est? Nec, quod infra legitur v. 49. *Lavini est* cum his conferes. utriusque enim loci ratio differt. Toto enim hoc loco id potissimum agitur, ut demonstretur, deum esse veracem. iccirco et oracula et auguria et sortes et haruspicina et libri Sibyllini commemorantur. Scribendum igitur fuisset *nunquam est frustata Sibylla.* Verum haec vox caret idonea auctoritate. Atque praecepto Dissenii tantum tribuendum est, ut codicum consensum pluris esse existimes. Quid? haud iniuria dixeris, necessitatem etiam aut suavitatem numerorum in sede huic verbo assignanda saepe non minus valuisse, quam eam rationem, ad quam tanquam legem ac normam Dissenius hanc rem exigi voluit. — v. 18. Utrum *quid* an *quod canat* legendum sit, cum ex compendio scripturae utrumque effingi potuerit, auctoritate librorum vix potest decerni. At constat, *doce, quid canat* esse lehre vel zeige, was er singt: quod qui dicit, is ignorat id ipsum, quod quis canit, idque ex altero sciscitatur: *doce, quod canit* autem valet theile mit vel berichte das, was einer singt vel prophezeit: denique, *doce quod canat* est lehre seu deute das, was einer wohl singen vel prophezeien mag. tum vero non verba, sed sententia ignoratur. Atque hoc loco poeta Apollinem non vult dicere, *quid* Sibylla canat, sed interpretari eum iubet vaticinationem Sibyllinam. Recte igitur legitur *quod canat.* Quae Dissenius in annotatione ad hunc locum attulit, huc non pertinent: certe scripturam *quod* non magis muniunt, quam loci ab Huschkio allati eam evertunt. — v. 19 sqq. *Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem dicitur et raptos sustinuisse lares.* Sententia est plana: sortes Aeneae dedit post captam et incensam Troiam. Ubi Sibylla has sortes Aeneae dederit, poeta ipse non dicit: de virorum doctorum opinionibus vide sis Heynium et Dissen. ad h. l. *Dicitur*

poeta paullo infra dicit. Ergo in earum quoque Sibyllarum animos *incola Pythius illapsus erat*: gratae igitur et ipsae erant Apollini. Verum ut de summa re Dissenio consentiamus; aliquanto plus etiam tribuamus verbis Lucani ab Heynio allatis (Phars. I, 564: diraque per populum Cumanae carmina vatis Vulgantur): illud tamen manifestum est, verba *hae fore dixerunt* iungi non posse cum iis, quae hoc loco leguntur, *quicquid Amalthea dixit — quasque . . . sortes portarit.* Retorquere enim non est aptare. Quid illa *ferunt, annus vidit?* putasne ea apta et suspensa esse ex eo loco, quem diximus? Immo vero poeta prodigia, quae paullo ante bellum civile Caesaris et Pompeii et sub necem Caesaris animos hominum religione ac metu perculerunt, breviter narrat, ut doceat, iam evenisse, quae ab illis vatibus essent praedicta. Ex veritate enim librorum Sibyllinorum sacerdotio augurum auctoritas accessit. Nullo autem pacto haec cum illis Amaltheae, Herophiles et Albuneae praedictis iungi poterant, nisi quid additum esset, ex quo cognosceretur, tristia ac dira has Sibyllas vaticinatas esse. Multo igitur rectius, quam Muretus, in cuius tamen opinionem nollem insultasse Huschkium, Heynius vidit, excidisse nonnulla, quae poetae aditum facerent, ea, quae diximus, prodigia narrandi. Ab interpretatione nimirum vaticinationum Sibyllinarum, ad quam poeta Messalinum ab ipso Apolline institui voluit, oratio ad prodigiorum procurationem, quae in iisdem libris Sibyllinis exposita erat, traducitur. Restat ut dicamus de verbis *quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes .... pertuleritque sinu.* Varia scriptura est *quodque, quosque* et *perluerit.* In excerptis Lips. legitur: *quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes portarit* cet. *Perluerit* ineptum esse, apparet, res clamat. Varro: decima est, inquit, Tiburs, nomine Albunea, quae Tiburi colitur ut dea, iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cuius sortes senatus in Capitolium transtulit. Haec Varro. Itaque viri docti certatim ea, quae Excerpt. Lips. praebent, amplexi sunt. Coniunctivum verborum *portarit* et *pertulerit* Huschkius ita explicat, ut Tibullum dicat hanc rem tanquam fictam dubitanter commemorasse. Sed ut iam finem faciam de hoc loco vexatissimo dicendi, coniectando is locus sanari non potest. Etenim cum locus claudus et mutilus sit, nihil habes certi, quo coniecturam dirigas. Optabis magis, quam invenies, quod speres fore ut aliis probetur. Satis igitur erit, dispexisse, dicere poetam: quicquid Amalthea, quicquid Marpessia, quicquid Albunea diri olim vaticinata esset, id se ab Apolline velle averti. — v. 71 sqq. *Hae fore dixerunt belli mala signa cometen — praemonuisse boves.* Num *hae* an *haec* legendum sit, dubium est: probabilius tamen, veram scripturam esse *hae.* Dicit enim poeta hoc quidem loco, de his prodigiis monuisse olim Sibyllas: deinde ipsa prodigia commemorat: denique, id quod caput est totius loci, precatur, ut Apollo ea averruncet. Quae igitur a verbis *Atque tubas atque arma ferunt* usque ad verba *Haec fuerant olim* exposita sunt, poeta non ut praedicta a Sibyllis affert, qualia illa sunt *hae fore dixerunt* cet., sed narratoris ipse partes suscipit. Haec de toto loco: nunc singula examinemus. — v. 71. *hae fore dixerunt belli mala signa cometen Multus ut in terras deplueretque lapis*: miror, si ita scripsit Tibullus. Nam et constructio est

valde impedita et lapis *depluit* nove dictum: nam lapis ipse imbri demittitur. — v. 73. *Atque tubas atque arma ferunt.* de geminata particula conf. Wagn. ad Virgil. Ecl. V, 23. — *Strepitantia* codicum auctoritate, *crepitantia* si non librorum commendatione, at usu dicendi probatur. Petron. cp. 122 v. 134: *armorum strepitu caelum furit*: ubi Burmannus reponi iussit *crepitu.* Sed etsi hic *crepitantia,* illic *crepitu* malueris positum (conf. Doederlin. Synonym. Tom. V. p. 117), tamen non erit caussa satis idonea, quamobrem alteram scripturam reiicias. Ceterum malim versus 77 et 78 ante versus 75 et 76 collocatos: quamquam Vossius et Dissenius eum ordinem, qui nunc est horum versuum tuentur. At vero crepitus armorum et ingens illa ex lucis audita vox eodem numero sunt, quo lacrimantia ista signa deorum et voces humanae a bubus editae; longior autem solis defectus, qui fuit occiso Iulio Caesare totiusque paene anni continuus pallor non in nuntiatis prodigiis, quorum fides dubia erat, sed in rebus veris ac certis numerandus est. Illis igitur prodigiis convenit *ferunt*, huic *vidit annus.* — v. 79. Pro *fuerant* Broukhusius de coniectura dedit *fuerint* et ita in duobus libris legi; testis est Huschkius. Broukhusio praeter Heynium Huschkius quoque et Dissenius suffragati sunt: atque alter eorum *fuerint* vi optativi positum dicit: alter verba *haec fuerant olim* desiderantis potius, quam deprecantis esse arbitratur. Equidem, cum poeta haec evenisse dicat eademque expiari et averti cupiat, solam scripturam *fuerant* veram esse existimo. — v. 81. *Erit* contra alteram scripturam *eat* satis munivit Broukhusius. — v. 84. *laurus ubi bona signa dedit; gaudete coloni.* Fingit nimirum poeta, laurum *iam bene crepitasse.* Pro *ubi* Vossius *uti* coniecit; Heinsius *io*: illum refellit Huschkius; hunc secutus est Heynius. Etiam Dissenius *io* vere poeticum dicit. Equidem non ita animo affectum fuisse poetam puto, ut in illam exclamationem erumperet. Longe alia res est I, 1, 24 et infr. v. 118, aut II, 4, 6. — v. 86. Scriptura *deficient* nec librorum auctoritate caret et suffragia tulit Vossii, Huschkii, Bachii, Golberyi: at poeta non tam dicit, id eventurum esse, quam cupit optatque; itaque rectius est *deficiant.* — v. 96. *qua levis umbra cadit.* Excerpt. Pocchi: *unda cadit*: quae scriptura unde orta sit, patet. Conf. Tib. I, 1, 27. Horat. II, 3, 9. Epod. 16, 48. At haec nihil ad hunc locum pertinent. Ovid. Metam. V, 336. memorisque levi consedit in umbra: cui loco Tibullianum istum Gierig. contulit. Heynius *levem* comparat Statii *tremulae umbrae* (Theb. V, 749): at recte Dissen. eam dicit contrariam esse *densae* vel *horrenti.* — *Cespitibus . . . toros.* Virgil. III, 224: tum litore curvo exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis. — v. 110 sqq. *Et mihi praecipue: iaceo cum saucius annum et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor, Usque cano Nemesim.* Ita Lachmannus et legit et distinxit, eique consentiunt Dissen. et Gruppius. Alii post *praecipue* comma, post voces *morbo* et *dolor* colon posuerunt, ut Heynius et Huschkius. Iidem et Passeratii coniecturam *tam iuvat* et, quod ab Ald. 1513 divulgari coeptum est, *vixque* receperunt. Verum *tam* est aliquanto fortius, quam ut ad hunc locum quadret, praesertim cum oratio leniter profluat: aptius foret, ni fallor, *nam iuvat. Vixque* haud dubie natum est ex scriptura *taceo.* At *taceo* male iungitur cum voce *saucius* meritoque emendatum est a Scaligero. Neque magis dubia est scriptura

illas, quas poeta supra dixit a Sibylla Aeneae datas esse. Mihi quoque persuasum est, haec suo loco mota esse: subiicienda erant versui vicesimo, saltem vicesimo alteri aut via aperienda, qua commode ad superiora oratio redire posset. Huschkius hanc μετάβασιν ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ εἰς τὸ μιμητικὸν memorabilem dicit. Dissenius istam transitionem, tam subitam ac repentinam, non modo non reprehendit, sed collaudat etiam (vid. eius comment. p. 271.). Equidem adduci nequeo, ut credam, a Tibullo compositionem rerum hoc modo neglectam esse. Sed de hac re alias. — v. 40. Auctoritate librorum permotus Lachmannus *Troica* pro vulgata *Troia* reposuit. Prudenter de hac re Ruhnkenius ad Velleium I, 5, 3 praecepit. Vide etiam Loers. ad Ovid. Heroid. I, 28. De re ipsa conf. Horat. C. IV, 4, 53. — v. 46. *Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.* Vere vidit Heynius, Tibullum aliam fabulam secutum esse: de qua etsi nihil nobis compertum est, id tamen est manifestum, *incendia* non posse *faces* esse a Rutulis ad incendendam classem Aeneae paratas. Nec consentaneum erat, post commemoratam Victoriam, quae *super fessas Troianorum naves volitaret*, mentionem iniicere cladis ab iisdem acceptae. Iure igitur a Cyllenii, Vossii, Wunderlichii et Huschkii opinione dissensit Dissenius. Sententia horum verborum haec est: iam mihi videor videre flammas in Rutulorum castris elucentes. Nihil amplius dicit Sibylla: cetera coniectura assequaris, necesse est. — v. 53. *Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes.* Vossius pro *tuos* scribi iussit *datos*: at datos non esse hos concubitus, res docet. Vestalis enim vi compressa est. *concubitus furtim* Huschkius dictum putat, ut graece αἱ ἄγαν σπουδαὶ, αἱ παραυτίκα ἡδοναὶ, alia id genus. At haec differunt. Ne illud quidem Terentianum *semperlenitas* (Andr. I, 2, 4) commode comparari potest. Propius accedunt ἀληθὲς ἢ μάτην λόγος (Euripid. Ion. 278); inceptum frustra erat (Sall. bell. Iug. c. 7) omninoque ea, quae congessit Math. gr. gr. Tom. II p. 612. Herm. ad Sophocl. Antig. 633. Ita *furtim* hoc loco dictum est omisso verbi *esse* participio, quo sermo latinus caret. Praeterea cum *furtim* mediam sedem *concubitus* inter et *iacentes vittas* teneat, quicquid restat offensionis, sublevatur. — v. 59. *qua fluitantibus undis solis anhelantes abluit amnis aquas.* Perperam Vossius *rutilantibus* legi iussit: quod epitheton hoc loco, ut recte vidit Dissenius, prorsus inutile et supervacaneum foret. Lucret. III, 190: namque movetur aqua et tantillo momine flutat. Satis est, hunc locum attulisse. — *Amnis* (conf. III, 4, 18) Oceanus est, cuius nomen alii, quod ego sciam, scriptores addunt: hoc loco ex re magis, quam ex verbo intelligitur, dici Oceanum. Eum *amnem* poetae vocarunt auctorem suum ac principem secuti Homerum. — v. 61. *Troia se mirabitur*: Troiam dicit quasi ex cinere resurgentem: atque id quidem praeclare: ea vero, quae sequuntur *bene sibi vos tam longa via consuluisse* conferre iuvat cum verbis Virgilii (Aen. l. III, 159): tu moenia magnis magna para longumque fugae ne linque laborem. Quam illa *bene consuluisse*, si cum his compares, tenuia sunt! — v. 66. *iactavit fusas et caput ante comas.* de ordine verborum monuit Achilles Statius: rem egregie illustravit Huschkius. Omnia sana sunt. *fusas* per prolepsin dictum est pro *comas ita iactavit, ut ante caput funderentur*: quibus verbis facies furentis vatis depingitur. — v. 67 sqq. *Quic-*

quid Amalthea, quicquid Marpessia dixit Herophile Phoebo grataque quod monuit, Quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes Portavit sicco pertuleritque sinu, Hae fore dixerunt cet. Amaltheam Varro (vid. Lactant de fals. relig. I, 6.) Cumanam tradit fuisse, ab aliis Herophilen vel Demophilen nominatam: Virgilio (Aen. IV, 36) eadem vocatur Deiphobe. Ab Amalthea autem novem libros ad Tarquinium (Priscum fuisse ait Varro, Superbum Gellius l. I, c. 19) allatos perhibent. *Marpessia* quae hoc loco appellatur, eandem Varro Hellesponticam dicit, natam in agro Troiano, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium. Pro *Marpesso* apud alios scriptores *Marmessus* vel *Marmissus* reperitur. (Vid. Suid. s. v. Σίβυλλα et Steph. Byz.). Inde Salmasii coniectura *Mermessiam* nata est: quam, cum res tam incerta sit, cur Heynius et Huschkius auctoritati librorum anteponant, non dispicio. Eadem fere scripturae inconstantia est in nomine Herophiles, quam alii *Eriphilen* vel *Heriphilen* dixerunt scripseruntve. At scriptura *Herophile* auctoritate Pausaniae (X, 12) satis firmata est. Apud quem scriptorem cum Herophile glorietur: ἅδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορίς εἰμι Σίβυλλα, facile quis adduci possit, ut verbis *Phoebo grata* patrocinetur: verum, ut pridem Huschkius vidit, quaevis alia Sibylla et fatidica mulier *Apollini grata* vocari poterat. Ceterum pro *grataque quod monuit* in aliis libris est *grata quod admonuit.* Vocabulum *admonuit* ipsum nihil habet offensionis. Plerumque quidem de oraculis *monere* usurpatur: de portentis ac prodigiis etiam *praemonere* frequentatum est (conf. infr. v. 78. Ovid. Metam. XV, 185. Plin. Nat. Hist. I, 57): atque *extis* et *ostentis* Cicero ipse (de Nat. deor. II, 66) *admoneri* dixit. Hanc igitur vocem non moror: sed multo magis suspectum mihi est *quod*: nec enim puto poetam unum aliquod vaticinium intelligi voluisse. At vero quae est sententia verborum *Phoebo grataque quod monuit?* Interpretes omnes ad unum consentiunt, pro *Phoebo* alius cuiusdam Sibyllae nomen reponendum fuisse: Vossio placuit *Demo*, Huschkio *Phyto*: altera commemoratur a Pausania (X, 12, 8), altera a Varrone: Samiam eam dicit: nomen eius non addidit: sed tradiderunt illud alii scriptores (conf. Scalig. ad Euseb. Chronic. p. 77 et Huschk. ad h. l.). Summoto nomine *Phoebi* vox *grata* stare nullo pacto potest. Coniecit Lachmannus *graia*, quam coniecturam Dissenius palmarem iudicat esse: nec iniuria, quamvis *graia* pro Samia vel Parthenia positum mireris, cum *graiae* aliae quoque Sibyllae fuerint: felicissimam tamen hanc coniecturam esse, fatearis: num germanam illa scripturam reddiderit, quis pro certo affirmet? Rationes certe ab Huschkio et Dissenio ad evertendam scripturam *Phoebo* allatae mirum quantum vacillant. Nam quod *paullo ante* vocativus *Phoebe* positus sit, id equidem, cum haec tanquam disiecti poetae membra sint, flocci habendum duco. Nec magis mihi Dissenii ratio probatur. Is enim epitheton *Phoebo grata* propterea reiicit, quod poeta istarum Sibyllarum vaticinationes detestatus sit. At vero nec verisimile est, istas Sibyllas nulla nisi sinistra populo romano oracula edidisse et si concesseris, poetam expositis principis Sibyllae oraculis, laetis atque faustis nomini romano, dira ac tristia vaticinia aliarum Sibyllarum commemorasse, tamen, quominus vates *Phoebo grata* dicatur, nihil erit, quod impediat. Namque ad eventum haec ipsa vaticinia perducta esse,

faveo, quae non modo iis locis, quos Vulpius, Heynius et Huschkius attulerunt, sed etiam usu loquendi firmata ac munita est. Quid? ne tum quidem, si, sicut spes, fama, vota, voluntates, bella foveri dicuntur, sic diceretur *morbum aut dolores fovere*, non potius habendum esset *favere*, quam *fovere*. Est enim plus cupiditatis in *favendo*, quam in *fovendo*. — Coniunctionem *cum* Dissenius dicit propterea esse geminatam, quod verbis *iuvat ipse dolor* eadem sententia subsit, quae verbis *morbo faveo*: sed illa his ἐμφατικῶς adiecta esse. Video, quid dicat vir doctus: sed, nescio quo modo adduci non possum, ut credam, hanc esse manum Tibulli. Mallem scriptum: Et mihi praecipue, iaceo qui saucius annum et faveo morbo, quod iuvat ipse dolor. Usque cano Nemesim cet. — v. 116. *oppida victa* commode componi possunt *expugnatis* populis. Vide Walch. ad Tacit. Agric. p. 400. — C. VI. *terrae via*. Quem Huschkius contulit locum I, 3, 36, is non magis, quam verba Horatii (C. II, 6, 7) aut Ovidii (Fast. I, 4), iis, quae hic leguntur, comparari potest. *Via terrae* dictum est, ut *maris via* (conf. Ov. XI Met. 747). — v. 8. *Ipse levem galea qui sibi portet aquam*. Vossius et Broukhusius legerunt *levi galea*. At *galeae* epitheton est *lēvis*. Dissenius *levem aquam* contulit *levi vino*. Plin. Nat. Hist. 23, 32. levissimum est (vinum), quod celerrime inveteratur. At ut nostrates dicunt »leichter Wein«, non item »leichtes Wasser«, ita etiam latine dici puto *vinum leve*, aquam non item. Facete igitur ac iocose *aquam* poeta — oderunt enim poetae aquam — *levem* dixit pro *vili*. Epitheton perpetuum seu ornans non est. Conf. tamen Iacob. Quaestt. epic. pag. 43. — *Sibi portet* intelligo aquam ex flumine haustam, ut Polystratus ille (Curt. V, 13) galea haustam aquam sorbet. aliter Dissenius, quem vid. ad h. l. Dicit sane poeta, ut pridem Heynius explicaverat, *gregarium militem*. — v. 10. *et mihi facta tuba est*. Lepide dictum, si quid video. Congruunt ista cum inani animi iactatione, qua sedata Tibullus: magna, inquit, loquor, sed magnifice mihi magna locuto excutiunt clausae fortia verba fores. Itaque nec placet, quod Muretus ex paucis libris dedit *grata*, et multo etiam deterius est, quod Heynius coniecit *flata*. *fortia* autem *verba* facete dicit, quia miles futurus est et bellicam virtutem prae se fert. conf. I, 5, 2. Ovid. Met. VII, 76. Virgil. I, 27. (fortia corpora). *Grandia* igitur hoc loco minus aptum est. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 13. *Iurāvi quotiens rediturum ad limina numquam*. de omisso accusativo pronominis monuerunt Huschk. ad h. l., Dissen. ad I, 3, 27. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 112. Adde Anthol. III, 82, 50: speravit (Pasiphae) torvo posse placere bovi. — v. 15. *Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, si licet, extinctas aspiciamque faces*. Non opus est, monere, *tela* et sagittas et faces esse. Quam vero scripturam Broukhusius, Heynius et Huschkius receperunt *ilicet*, ea non magis probari potest, quam quae est aliorum librorum *scilicet*. Poeta nimirum religione quadam tangitur: qua de caussa statim impetum animi excusat, quo commotus haec verba iactaverit. Itaque tu, inquit, me mihi dira precari cogis et insana mente nefanda loqui. — v. 20. Ordo verborum in aliquot libris alius est; haud dubie mutatus, ut numerorum suavitati consuleretur. Verum, ut recte vidit Huschkius, in his ipsis verbis, quae posteriorem pentametri partem tenent, caput est totius sententiae.

Ac mihi quidem callide numeri ad indignationem spei in crastinum semper diem meliora differentis compositi videntur. Haec ars est poetae, non negligentia. Vide tamen Gruppium libro saepe iam dicto pag. 81. Ceterum Ovid. Epist. ex Pont. III, 6, 42: Me quoque conantem gladio finire dolorem (spes) arcuit iniectam continuitque manum: — v. 21. *Spes alit agricolas.* Ovid. Ib. 130: speque tuae mortis, perfide, semper alar. Stat. Theb. XII, 739: sic iuvat exanimis proiectaque praeda canesque degeneresque lupos: magnos alit ira leones. *Alere* enim id dicitur, quod vim alicuius et animos auget. Sententia est plana. Quod vero Heynius quaerit, num ad declarandam deae potentiam ea, quae hoc loco de aucupio et piscatione dicerentur, satis essent accommodata, haud indignum est tanti viri iudicio: sunt enim ista inventa humanae potius astutiae (conf Sophocles Antig. vv. 332 sqq.). Veruntamen fatendum est, cum piscatus et aucupii fructus non minus dubii sint et incerti, quam arationis, ita ut pauperes homines sola spe ad haec negotia subeunda et toleranda adigantur, non male hoc loco artes eiusdem generis comparatas esse. Conf. incert. poet. (Anthol. lat. l. III, 82): Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro: sperat, qui ventis vela ferenda dedit: spes hamis pisces, laqueo captare volucres, erudit cet. — Frustra coniecit Heinsius *hamis subdidit ante cibos.* Scriptura *abdidit* iis locis, quos Heynius et Huschkius attulerunt, ita firmata est, ut convelli nequeat. — v. 28. *ne vincas, dura puella, deam*: spem dicit poeta, aliis invictam. *spem* vero *vincere* quid aliud est, quam facere, ut succumbat i. e. ut nihil valeat? Sententia igitur est: noli facere, ut spem tui amoris mihi conciliandi omnem abiiciam. — v. 33. *Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto. Ut* non posse cum *sis* iungi, viri docti omnes ad unum viderunt: quippe, adversatur enim usus sermonis latini. Itaque explicant *tanquam.* Recte ac necessario istuc quidem: sed vereor, ne haec particula vim sententiae frangat. Etenim vetare aut iubere alicuius verbis significat in eines Namen etwas verbieten oder gebieten. Mihi *et* potius, quam *ut* probaretur: at quam facile *ut* ultima syllaba verbi *illius* nasci potuit! Atque numeri ipsi ad gravitatem obtestationis forent compositi, si scriptum esset: *Illius verbis* (conf. I, 8, 66; II, 2, 7.). — v. 45. *Lena vetat miserum Phryne.* In libris est *phirne, fyrne, furne, hirne*: ex *phirne* refinxit Muretus *Phryne.* Id nomen etiam apud Propertium II, 6, 5 in plerisque codicibus eodem modo depravatum erat. Verum quicquid Dissenius contra Huschkium dicit, negari nequit, nomen iniquo loco positum esse. Quid, quaeso, nomen lenae ad rem? Longe alias partes agit Nape illa Ovidii (Amor. I, 11.). Pro *vetat* Pontanus coniecit *necat*: quam coniecturam Dissenius dicit firmari iis, quae infra leguntur *tunc morior curis.* At haec ipsa coniecturae Pontani occurrunt potius, quam succurrunt. Omnino illa nihil ad haec pertinent. Deinde dubito, num *necare* veteres ea vi ac significatione posuerint, qua multis locis *enecare* dictum reperitur. Lachmannus legit *vocat* i. e. invitat: ipsam enim orationis structuram ostendere, sequentia de commercio literario Tibulli cum Nemesi intelligenda esse. Ab hac viri doctissimi opinione dissentit Dissenius: nec iniuria. Nam si literas intelligimus a Tibullo datas et acceptas, quid caussae dicimus fuisse, cur lena *furtim occulto sinu* tabellas portaret? Conqueri videtur Tibullus,

quod lena rivalis alicuius, haud dubie ditioris, tabellas ultro citroque ferat, ipsum autem verbis detineat ac ludat vanis et inanibus. In excerptis Perreii et Pocchi legitur: *lena vetat miserum recipi*, quod Huschkio probatur. At de hac re poeta infra questus est. Locus depravatus est; erroris sedes est in voce *phirne* vel *hirne*: fortasse etiam in proxima illa *vetat miserum* error invasit. Equidem multum temporis investigando, coniiciendo consumsi vel potius perdidi: varie locum tentavi: sed nequidquam. Aliquando, dum vestigia scripturae premo, in mentem venit: Lena vetus miserum prohibet furtimque tabellas cet. At videant peritiores.

Lib. IV. C. 1. v. 1 sq. *Te Messala canam, quamquam me cognita virtus Terret.* Varietas scripturae haec est. in aliis libris legitur *me*, in aliis *mea*, in paucis vero *tua.* Pro *cognita* autem in paucis libris *vivida* reperitur. Ex coniectura dedit Lachmannus *me et.* Verba *Te Messala canam* sponte in mentem revocant notissima illa Virgilii: *nunc te, Bacche, canam. Virtutem* nonnulli intellexerunt *ingenium poetae*: quos iure reprehendit Huschkius. Idem recte explicavit vim vocis *cognita,* sed quibus locis id probatum voluit, iis nihil effici, quisque, qui vel semel eos inspexerit, videbit. Desideratur praeterea pronomen *tua*: quod si esset additum, non foret, cur *cognita* displiceret: sed eiiciendum esset *me*: quod non minus incommodum est. Lachmanni coniectura vereor ut locus sanetur. Heynio nollem probatam scripturam *vivida*, quae verbis Horatianis *vivido impetu* firmari nequit: differt enim tota utriusque loci ratio. Ut ista nunc leguntur, oratio impedita est et tirone, quam Tibullo dignior. At vero Tibullus tum tiro fuit in poesi (vide Grupp. libr. de Rom eleg.). Esto: defuerit adolescentulo ars: natura certe ei non defuit. Atque in ipso tirocinio vis ingenii, ubi viget, non potest non elucere. Videamus nunc de altero versu: *terret, ut infirmae nequeant subsistere vires.* Vulgata est *valeant*, cui plerique viri docti suffragati sunt: quin Huschkius *nequeant*, quae est Cuiaciani aliorumque quorundam librorum scriptura, errore natam existimat. Quam scripturam si serves, coniunctionem *ut* explicari non posse *adeo* vel *ita ut* apparet. Itaque Lachmannus docet, *ut* vim concessivam habere et cum sequentibus verbis *incipiam tamen* esse copulandam. At recte sentit Dissenius, hoc modo grammaticae rationi melius, quam scriptoris prudentiae consuli. Ac mirari sane licet istius hominis pertinaciam, quae ab aliorum poetarum elegantia plurimum distet. Qui si quando fassi sunt, ad laudes alicuius celebrandas ingenium sibi deesse, ad hanc rem non aggrediuntur, nisi praefati, se id facere, ne, cum suae modestiae consulant, pietatis officium deserant. Deinde, quae est verborum iunctura, ea facile quis induci potest, ut putet, *ut* pendere ex verbo *terret.* At si legitur *valeant*, sententia plana est. *terret* enim sonat *metum iniicit* sive *efficit, ut aliquis metuat.* Fortasse *nequeant* ortum est glossa grammatici, qui, ut doceret, quam vim particula *ut* post verba *timendi* haberet, in margine scripserat *ut valeant i. e. nequeant.* Quicquid est, *valeant* germanam scripturam esse existimo. *terret, ut infirmae valeant subsistere vires* universe quidem dictum puto, ut paullo infra *carmina deficiant*: sed manifestum est, poetam in his infirmis viribus suas numerare. — vv. 3 sq. *a meritis si carmina laudes, deficiant: humilis tantis sim conditor actis: nec tua praeter te*

chartis intexere — supersint. Est nobis cet. Ita dedit Lachmannus. quem secutus Dissenius totius loci sententiam hoc modo explicat: si ex praestantia iudices carmina, sive si a meritis eá laudes, haec quidem deficiant; humilis sim conditor tantis actis neque omnino quisquam res tuas digne laudaverit. Est nobis voluisse satis. Haec ille. at primum *laudes* non est *iudices*: sed *laudare aliquid* ab *aliqua re* poni nequit, nisi significetur, alicui rei ob aliquid nonnihil pretii aut honoris tribui: cui male convenit, id quod sequitur, *deficiant.* Deinde ut concedas, *meritum* esse dignitatem, quae virtute aliqua insita enascatur; non continuo sequitur, ut idem pro *praestantia* poni possit. Sed esto: quis vero hoc ordine verborum *incipiam tamen: a meritis cet.* neget, primae orationis virtuti, perspicuitati, parum provisum esse? Quam porro toto hoc loco dissipata est et inculta oratio! Atque haec omnia feremus, scilicet ut ne discedatur ab auctoritate librorum quorundam; cum constet, saepissime *a, ac, ad* inter se male commutata esse. Scaliger legit *at*, Muretus *ac*: id mihi probatur, quia ea, quae sequuntur, illis, quae supra commemorantur, non opponuntur, sed adiunguntur. Haud dubie igitur legendum est: *ac meritas si carmina laudes deficiant.* Pro *humilis tantis sim conditor actis* Heinsius, ut ingratum asyndeton tollatur, scribi iubet: *tantisque humilis* eique assensus est Vossius: sed ita omnis ratio, quae vi et pondere verborum constat, pervertitur (conf. Dissen. ad h. l.). Haud elegans est istud asyndeton. quis neget? sed intelligitur tamen, non temere omissam esse copulam. Etenim poeta, postquam paulo ante generatim de carminibus locutus est, cum statim idem de suo carmine iudicium subiiciat, haec duo, quae ad poesin pertinent, ipsa ἀσυνδέτως componit. Quod vero addit *nec quisquam intexere chartis* cum omne genus scriptionis, tum rerum enarrationem spectat. Huschkius falsa interpretatione verborum *conditor actis* ad mira commenta delapsus est. Scriptura denique *praeter te* et auctoritate librorum satis est munita nec quidquam est, quod ei refragetur. Ceterum mihi quidem persuasum est, haec omnia una periodo comprehendenda et sic interpungenda esse: Incipiam tamen: ac meritas si .... deficiant, humilis .... actis, Nec tua .... queat, dictis supersint: Est nobis voluisse satis: nec cet. Sententia totius loci est: dicam tamen et si (und mögen immerhin) carmina nulla tuas laudes assequantur, ut neque ego iis rite celebrandis sim, neque alius quisquam praeter te reperiatur, qui res a te gestas possit digne scribere, equidem tamen eas canam: nam satis est mihi voluisse: tu vero haec munera quamvis exigua non spernes. — v. 9. *Cres tulit.* Vide Homericum hymnum in Apollinem, ex quo loco disci potest, et quo duce usi sint Cretenses et quae dona deo dederint: quae sane erant exigua. Confer. Priap. C. 53: Contentus modico Bacchus solet esse racemo. — vv. 21 sqq. *Et vagus e terris, qua surgere nititur aer Huic et contextus passim fluat igneus aether Pendentique super claudantur ut omnia caelo.* Poeta dicit, alios in dicenda rerum natura versari. Eam poetae tribus fere partibus describunt, terra, mari, caelo: atque hae tres partes hoc quoque loco nominantur, sed addit scriptor et *aethera*, qui, ut Cicero de nat. Deor. II, 45 ait, caelo proximus et coniunctus et extremus omnia cingens ardor est; et *aerem*, qui terrae proxime fusus sublime fertur. Verum in hac

ipsa re interpretes inter se dissentiunt: quorum alii verba *vagus* ... *aer* cum vocibus *passim fluat* iungenda censent: alii contra (vid. Heyn. ad h. l.) his ipsis verbis locum ac regionem putant designari, ubi aether igneus passim fluat. At id ipsum satis declaratur verbis *huic contextus*: deinde cum aether, non ubi aer surgere nititur, sed quo altissime enisus est, fluat, mire dictum foret *qua surgere nititur.* Qua de caussa altera opinio multo est probabilior. Quam si tenemus, consequitur, ut assentiamur Heinsio, qui *ut vagus* legi iussit. *Ut* repositum voluit etiam Puccius, sed post *huic*, quod est in altero versu. Alterutro in loco *ut* legi necesse est. Id postulat orationis concinnitas. Etenim iis, quae paullo ante leguntur, *qualis et qualis*, respondent *ut* — *utque.* Necessario etiam scribendum est *a terris*: quae est Barthii coniectura vel emendatio, repudiata a Vossio et Huschkio, probata ac firmata a Dissenio. In voce *qua* nescio quomodo etiam nunc haereo. fortasse legendum est: Ut vagus a terris qui surgere nititur aer: de natura enim aëris, non de loco poetam loqui arbitror. Cetera plana sunt. *passim* est ἔνθα καὶ ἔνθα (nach allen Seiten hin) atque *fluere* de utroque et aëre et aethere dici, iam ex Lucretio et Cicerone cognitum est. — vv. 25 sqq. *At quodcunque meae poterunt audere Camenae, seu tibi par poterunt, seu quod spes abnuit ultra sive minus (certeque canent minus), omne vovemus Hoc tibi nec tanto careat mihi carmine charta.* Descripsi totum locum, quo equidem nihil vidi horridius et ineptius. Atque haec effutisse Tibullum, scilicet tironem! Verum age de singulis iam videamus! *Seu tibi par poterunt.* haud dubie *par poterunt* hoc loco significat *te aequabunt*, sive *tantum, quantum tu, valebunt. Tibi* autem explicant factis *tuis aut meritis ac laudibus tuis.* At pronomen *tu* aut hominem ipsum, quem quis alloquitur, indicat aut, id quod saepissime fit in comparationibus, pro iis rebus ponitur, quae profectae ab altero cum alterius rebus conferuntur, velut si Isocratis orationes cum Lysia comparantur. Itaque verba illa sonant: sive Camenae meae par tuis Camenis poterunt. Sed concedamus, esse hoc loco *par tibi poterunt* positum pro *aliquid par tuis factis ac laudibus*, quid tandem fiat iis, quae sequuntur, *ultra sive minus?* Num etiam *tibi ultra* aut *tibi minus poterunt* latine dici possit? an omnino ab his quidem verbis divellamus pronomen *tibi*, ita ut sola illa restent *ultra et minus poterunt?* Est sane ita faciendum. Video, sed ecquid his ipsis insuavius est? Atque cum supra dixerit, neque ab aliis neque a semet ipso posse verba factis Messalae exaequari, qui tandem fieri possit, ut carmina non modo assequantur, sed etiam exsuperent rerum magnitudinem? Nempe ipse addidit *quod spes abnuit, sive minus certeque canent minus.* At dicere *certe canent minus* et tamen iactare *seu tibi par poterunt* hominis est inepti et delirantis. Istud ipsum *minus canent* num cuiquam poterit placere? Scriptura *ultro* tantum abest, ut locum sanet, ut eius vitium augeat. *Vovemus* quin germana scriptura sit; non dubito. Denique in voce *carmine* facile quis haereat. Etenim si *charta,* ut multis aliis locis, positum esset pro ipso *carmine* seu *scripto*, (velut Ovid. Trist. III, 1: nullus in hac charta versus amare docet), nullo pacto vox *carmine* stare posset, sed necessario legendum esset *nomine.* Verum *charta* est hoc loco *materies*, in qua scripturus erat poeta. *tantum* autem *carmen* intellige car-

men, quo grande argumentum tractatur aut, id quod probabilius est, carmen maioris voluminis. — v. 32. *Quam tibi maiores maius decus ipse futuris.* Sententia est: tu ipse maius decus futurus es posteris, quam maiores tibi sunt. Apparet, *futuris* esse legendum. Sed ista brevitas dicendi et traiectio vocis *quam* satis indicant, ab homine haec scripta esse orationis componendae non peritissimo. — v. 33. Pro *nomine* Heynius et Huschkius maluerunt scribi *stemmate*, quod est Italorum. At iure alterum a Lachmanno servatum esse, demonstravit Dissenius, quem vide ad h. l. — v. 36. *canent*: poetae *dicunt*, *canunt* vel etiam *narrant* aut *scribunt*: rerum autem scriptores quis unquam dixerit *canere*, equidem nescio. Nam quod Cicero Thucydidem ait de bellicis rebus canere etiam quodammodo bellicum, est longe aliud. Conf. tamen Virgil. Aen. IV, 14 et Quintil. Instit. orat. l. X, 1. 47. Hoc loco zeugma esse volunt: sic, quod defendi nequit, saltem excusatur. — v. 39. Quae hoc loco a viris doctis enotata est scripturae varietas, ea quamquam est fere inutilis, suspicionem tamen movet, aliquid vitii inesse. Id quidem constat, si hic versus sedem suam obtineat, praeter vulgatam nihil esse, quod poni possit. Huschkius tamen codicis Perreiani auctoritatem secutus hunc versum loco movet eumque post versum quadragesimum quartum collocat. At particula *nam* non magis hoc loco molesta est, quam *enim* apud Virgil. Georg. I, 77 (ad. q. l. vid. interprett.). Poeta aggressurus ad celebranda acta, quorum modo mentionem iniecit, particulae *nam* in sequente versu principem locum tribuit. Deinde voces *ve* et *maior* non elegantissime repetitae sunt: sed apud poetam, qualis iste est, haec ratio ad transponendum versum non ita multum valet. Denique particulis *nec — nec* hae sententiae neutiquam iungi possunt. Nam res, quae inter se conferantur, prius nominentur necesse est, quam eas compares. Quod si utrumque genus, in quo Messala dicitur ceteris praestitisse, non esset commemoratum, qui posset in versu sequente *hic aut hic* dici? Ita autem legendum esse, apparet verbis *castris forove*: praeterea in ea, quae sequitur, similitudine, pondera iam in trutinae lancibus posita sunt. De totius comparationis vitio monuit Heynius, cui non iniuria assensus est Dissenius. Adde verborum ordinem male perturbatum et καλλώπισμα istud orationis *plus prona*, nec dubitabis, quin haec a tirone scripta sint. Tibullone? Immo ab alio eoque non ingeniosissimo. — v. 50. *Vixerit ille senex quamvis dum terna — decurreret horis.* Ita legunt Lachmannus et Dissenius: varia scriptura *decurrerit* et Heynio, quamquam is quidem in annotationibus *decurreret* scriptum mavult, et Wunderlichio atque Huschkio probata est. At perfecto nihil est incommodius. Vide Dissen. ad h. l. — v. 54. *Qua maris extremis tellus includitur undis.* Altera scriptura, multorum sane librorum auctoritate firmata, *excluditur*, defensores nacta est Broukhusium, Heynium, Huschkium. Et hic quidem eam exquisitiorem esse ratus diligenter undique locos collegit, quibus nimirum demonstraret, terras mari quasi terminis quibusdam cohiberi ac repelli quodammodo, et si qui terrestri itinere ad mare venissent, hoc ipsum iis tanquam claustrum obiici. Quae quid huc pertineant, non intelligo. Nam *maris extremas undas* poeta dicit Oceanum, qui terrarum orbem cingit. Horatii ille nobilissimus locus, sive *dissociabilis* sive *dissociabiles* legitur, huic loco conferri nequit.

Heynius etsi sentit, quam ineptum sit *excluditur*, tamen aliqua ex parte illud tuetur, opinatus, positum esse pro *clauditur*: quod fieri nullo pacto potest. Quid *qua* hoc loco valeat, docet Dissenius in annot. ad h. l. — v. 57. *Victa — foedatus lumina.* Confer. Virgil. III. Aen. 657. 662. 677. Ovid. Metam. XIII, 772. Iuven. Sat. IX, 63. Hi prudentius Polyphemo *lumen* tribuunt. Propert. III, 12. 26: exustaeque tuae mox Polypheme genae. — v. 60. Scaligero placuit *mobilis*: quod est rivorum epitheton: ceteri viri docti servarunt *nobilis.* Conf. Eustath. ad Odyss. κ. 108. ἴσως μὲν ἱστορικῶς περιφερομένη. — v. 62. *apta vel herbis aptaque vel cantu. Aptaque* videtur positum, ut iustus pedum numerus conficeretur. Virgiliano *nam neque — nam neque* inscitiam huius poetae excusari nolim. — v. 64. *Cimmerion* defendi posse, non negem. atque, cum non perspiciam, quid librarios moverit, ut formam genitivi sibi cognitam cum insolente (vide Schneid. Gramm. II, 1 p. 85 et Koen. de serm. epicor. rom. p. 33) ipsi commutarent, suspensus teneor nec adduci possum, ut Broukhusio consentiam. — v. 67. *Vidit ut inferno Plutonis subdita regno Magna deum proles levibus discurreret umbris.* In versu altero scriptura hodie divulgata vera ac certa est: in altero falsa opinio Huschkium induxerat, ut imperfectum acriter impugnaret. Hodie cum huius temporis ratio satis sit explicata, nemo cum Huschkio sentiet. In verbis *levibus umbris* haesit Heynius, cui cum Passeratii interpretatio videretur a latinitate abhorrere, duas interpretandi vias ingressus vulgatam modo retinet, modo deserit. In varietate scripturae nihil est, quod enotatu dignum sit. Verba *magna deum proles* seu graece θεῶν ἐρικυδέα τέκνα omni suspicione vacant. Non minus sanum est *discurrere* idemque rei declarandae aptissimum. Ablativus vero *levibus umbris* aliquid habet offensionis. *Umbris* non pro *Orco* positum esse, ex epitheto *levibus* cognoscitur. Dissenius igitur *discurrere umbris levibus* dictum putat ad similitudinem locutionis *incedere forma humana.* Conf. Luc. Phars. I, 11: Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta. Atqui Crassus tum quidem umbra erat. — v. 70. *Illum inter geminae nantem confinia mortis.* Haec scriptura germana est: *tergeminae* autem et *pergeminae* depravatione eius orta sunt. In nonnullis libris legitur *tergemini montis*: quod Heynius *ter* mutato in *inter* non sprevit, anteposuit etiam vulgatae Huschkius; quippe; Homericum locum poetam imitatione expressisse. Nec dubium est, quin ita scribi potuerit: at quanto alterum sit venustius, planum est. (Vid. Dissen. ad h. l.) Quod vero Huschkius suspicatur, poetam duos illos geminos scopulos, quos Scylla et Charybdis feruntur tenuisse, cum πέτραις πλαγκταῖς i. e. Symplegadibus (vid. Odyss. ψ, 327) imprudenter confudisse, id cum incertissimum sit, nihil prorsus ad firmandam scripturam *gemini montis* momenti affert. — v. 72: *cum canibus rapidas inter fera serperet undas.* Varia scriptura est *rabidas inter freta.* Puccius dedit *fera*, quod idem in paucis libris legitur. Scripturae discrepantia et rei explicandae difficultas viros doctos ad coniectandi sollertiam excitavit. Coniecturas eorum diligentissime recensuit Heynius. Huschkius opinatus, Ulixem per freta navigantem a poeta hoc loco dici, scripturam unius libri *curreret* cupidius arripuit mutatoque *cum* in *quin* legit: *quin canibus rapidas inter freta curreret undas: inter freta* enim idem esse, quod *in*

freto aut *inter freti angustias.* In qua re vir doctus vehementer errat. Sed missis his argutiis, quas iam Dissenius refutavit, ipsi singula examinemus. *Cum* sanum esse, intelligitur ex iis, quae sequuntur *vel si — vel si. Canibus* suspectum non est. Erat enim Scylla *cincta* vel *succincta canibus,* qui poetis dicuntur *latrantes, saevi, feri.* Ovid. Met. XIII, 730: illa feris atram succingitur alvum. Pseudo-Tibull. III, 4. 89: Scyllaque virgineam canibus succincta figuram: quo loco vox *canibus* omni epitheto caret. *Rapidas* an *rabidas* legendum sit, dubites. Nec enim absurdum foret, opinari, poetam, cum proxime collocatum esset *canibus*, iccirco *rabidas* maluisse, quam *rapidas* scribere. Ac sane rabies canina non ventis modo, sed mari etiam tribuitur. Inde *Scyllaea rabies* apud Virgilium Aeneid. I, 200. Apud Lucretium V, 890. *rabidis* malim legi. At vero eadem Scylla *rapax* appellatur (Ovid. Heroid. XII, 123) atque undae sexcentis locis *rapidae* vocantur. Quapropter hoc quoque loco *rapidas* retinendum est. Vox *freta* etsi librorum auctoritate maximopere commendatur, tamen velut inutilis herba exstirpanda est in eiusque locum reponendum *fera.* feram autem Scyllam dicit propter canes, quibus succincta saeviebat. Restat *serperet.* Scriptores, quod ego sciam, omnes Scyllam tradunt in spelunca delituisse exsertisque ex ea capitibus insidias struxisse. Conf. Virgil. Aen. III, 424 sq. Haud dubie animo poetae Homerica illa σκόπελον περιμαιμώωσα obversata sunt. *Serpere* igitur eam dicit non pedibus, sed exsertis capitibus, quae monstrum insidiandi caussa huc illuc torquebat. Vocabulum *serpere* quantopere viros doctos vexaverit, ex segete emendationum cognoscitur: equidem nihil moliendum puto; si quid peccatum est, non librarius, sed poeta ipse peccavit. — v. 73. *suo more.* Ovid. Met. XIII, 730: Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis Infestat: vorat haec raptas removitque carinas. Haec igitur eius consuetudo. Quae sequuntur *vel si — vel si* non elegantissime cum *nec* iuncta sunt. — v. 78. *finis et erroris miseri.* Cum Ulixis miseria et orta et finita sit his erroribus, scripturae bonorum librorum plus fidei tribuendum est, quam vulgatae *finis et errorum misero.* Nam et epitheton venuste ad *errorem* traductum est et *misero* videtur emendatione natum. — v. 79. Paullo supra legitur *rapidas inter*, nunc rursus: *nostras inter*: ista quam insuavia sint, nemo non sentit. Mire etiam dictum est *haec inter nostras terras cognita,* nec interpretatione, quae a vera verborum significatione discedat, eiusmodi vitia orationis tegi et occultari oportet. Male etiam *sit* omissum est; quamquam sunt, qui id excusent, quod *sit* primam sedem in hoc versu teneat. Adde *qualiter,* et alia his etiam vitiosiora, velut transitionem eandem male repetitam, orationem obliquam per quindecim versus servatam, et mireris, exstitisse aliquem, qui a Tibullo hoc carmen scriptum esse perseveraret. — v. 88. In castris ponendis cerni poterat imperatoris diligentia, consilium, prudentia (conf. Liv. XXXV, 14. Tacit. vit. Agr. cp. 20). Deligendus erat locus saluber (Claud. l. VIII, 322) quique aquae ac pabuli copiam faceret (Veget. de re milit. I cp. 22). Poeta Messalam ait opportunissima quaeque loca castris metandis deligere. Opportunitates autem tres enumerat: ubi aqua suppetat, aditus hostibus arduus, militibus facilis sit (conf. Sall. Iug. cp. 98), denique ubi satis spatii datum sit ad exercendos milites (vid. Veget. I, cp. 27). Etenim

ne milites in castris stativis otio diffluerent (conf. Tacit. Annal. I, 16), imperatores fortes ac strenui sedulo cavebant, velut Scipio Africanus, qui ut exercitum ante Numantiam ad pristinam disciplinae severitatem revocaret, instituit, ut quotidie milites in opere haberet. quod idem fecit Q. Metellus in Africa, postquam Albini exercitus ei traditus est. Commodissime autem huic loco conferri possunt ea, quae Livius narrat l. XLIV cp. 3. 4: Neminem, inquit, totis mox castris (Aemilii Paulli) quietum videres: acuere alii gladios, alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere; alii aptare corpori arma experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis mucronemque intueri, ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia aut morte memorabili inituros bellum. Haec igitur militum studia in castris cum aut excitarentur imperatoris virtute aut inertia eius refrigerarentur, poeta locum sibi datum vidit digrediendi. Quae digressio etsi nimia, qua poeta usus est, diligentia molestiam creat, a laude tamen Messalae non aliena est. Aliter sentit Dissenius. quem vide ad h. l. — v. 91. *celeremve arto.* haec vulgata scriptura est, quam viri docti omnes ad unum reiecerunt. Ayrmanno placuit *celeremque*: id melius esse, quam *celeremve,* comparet: atque Heynius non veritus est, Ayrmanno assentiri: at multo subtilius iudicavit Dissenius. vidit enim *celeremque* scribi non potuisse, cum *tardo* in altera parte sententiae principem locum teneret. Omnino *celerem* Lachmanno et Dissenio suspectum est. Et iniucunda sane est vocis paullo supra positae repetitio: sed neque ab isto poeta quidquam ad unguem expolitum exigi potest et accidit idem aliis iisque melioribus scriptoribus. Difficile est autem excogitare aliquid, quod *tardo* aptius opponatur. Mihi id unum persuasum est, male inculcatum esse *ve.* Itali coniecerunt *arctato*: quod cur tantopere Dissenio displicuerit, non perspicio (conf. Döderlin. synonym. Tom. IV p. 431 sqq.) Ovid. Remed. Am. 396: *attrahe* lora Fortius et gyro curre poeta tuo. — v. 93. *directo contendere passu.* Dissenius *passu* tuetur. recte enim *directum passum* obliquo equi in gyrum acti opponi. Atque *passus* et tardus et rapidus est, velut lecti illi apud Virgilium oratores *rapidis passibus feruntur* et Atalanta apud Ovidium *passu volat alite.* Sed citatus vel velox passus fere hominis est: equi, ubi citantur, *currunt.* Hoc igitur nomine *cursu* rectius videatur dici, quam *passu.* Nec tamen id tanti existimo esse, ut quidquam contra auctoritatem librorum mutetur. *Citato equo contendere* locutio proba est et frequens. At idem in sequenti versu positum esse, viri docti aegre tulerunt. Operam igitur dederunt, ut coniectura germanam scripturam restituerent. Broukhusius coniecit *compellere,* Crusius *convertere,* Dissenius *decurrere.* Id melius est. Nam cum *contendere* in proxime superiori versu dictum sit, verbum transitivum *compellere* vel *convertere* ad orationis constructionem minus aptum est. Num *decurrere* scriptum fuerit, necne, quis pro certo dicat? Equidem desidero verbum, quod, ut ita dicam, e regione opponatur verbo *contendere.* — vv. 95. *Quis parma — funda.* Pro *grandis venit impetus* reperitur in libris etiam *veniat gravis,* quam scripturam Lachmannus dicit idonea auctoritate carere. De ceteris codices inter se consentiunt: at virorum doctorum magna est dissensio. Dissenius secutus Lachmannum virgula post vocem

gyro posita, haec ita explicavit, ut verba *quis .... tueri* cum *possit* iungeret. Atque ita haud dubie construendum est. Post vocem *pilo* tamen maius quoddam signum distinguendi ponendum. Ab his enim verbis oratio transfertur ad contentionem militum levis armaturae. Ut vero paullo supra *aut quis* dictum est, sic hoc loco *aut* vel *ve* addi debebat. Deinde ad verba *dextra velit seu laeva* intelligitur quidem *tueri*: at id ipsum, quod eiusdem verbi *infinitivus* subsequitur nec tamen cum verbo *velit* iunctus est, documento esse puto, scriptorem componendae orationis non peritissimum fuisse. Verba *grandis venit* sana sunt, ut vere vidit Dissenius. Nec vox *amplior* mihi quidem suspecta est. Etenim si *impetus animi verbis amplificari* potest, quidni possit etiam *ictibus impetus hastae amplificari?* Explicandae autem vocis nulla difficultas erit, praesertim si de etymo eius Doederlinio consenseris. Profligata igitur est opinio eorum, qui *amplior* interpretati sunt *praestantior, potior* ex eaque voce infinitivos *tueri* et *tangere* pendere voluerunt. Sonat enim *amplior* fere idem, quod *acrior crebriorque.* — v. 99. *audacis venient — adversisque parent.* conf. inf. v. 136. Virgil. Aeneid. I, 49: et quisquam numen Iunonis adoret Praeterea et supplex aris imponet honorem. Frequentem esse hanc modorum variationem, constat: est autem ubique certa aliqua eius ratio: quae vereor ut hoc loco excogitetur. Quapropter si cui minus placuerit scribi *venient — parent*, scribendum erit *veniant — parent* potius, quam *venient — parant*, ut in nonnullis libris legitur. Namque sequitur *desit*: pro quo qui *defit* posuerunt, veriti videntur esse, ne quis *non desit* dictum putaret pro *ne desit*, quod sane absurdum foret. At *non desit* significat »es kann dir nicht abgehen« vel tu is es, cui non desit. Praedicat enim Messalae peritiam instruendae aciei. — vv. 104 — 106. *Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem, dexter uti laevum teneat dextrumque sinister Miles sitque duplex gemini victoria casus.* Ennius apud Cic. de offic. I, 12: ferro, non auro vitam cernamus utrique: ad quem locum vide interprett. Notum est, dici *aequo Marte* vel etiam *aequa acie* decernere: quocirca Salmasii coniectura *duplici Marte* probabilis quidem est, necessaria non item. Nam *Martem* intelligimus *proelium* atque ut *rem decernere* multis locis, ita hoc loco *Martem decernere* positum est: quam scite ac venuste, nihil ad rem. Poeta dicit: ubi ad proelium ventum erit, aciem egregie instrues, ut aut aequa fronte acieque frequenti milites proelientur aut media acie curvata, prominente utroque cornu, exercitus dimicet. Acie hoc modo instructa fieri non potuit, quin cornu Romanorum sinistrum dextro hostium, dextrum sinistro oppositum esset. Luc. Phars. VII, 217: cornus tibi cura sinistri — Lentule — datur: tibi .. Domiti *dextri* frons tradita *Martis*. Salmasii igitur *tentet* parum aptum est. In tertio denique horum versuum coniecturam Italorum *geminis — castris*, quam Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt, reiecit Lachmannus: iure id factum esse, docet Dissenius, cui ut consentiamus, res ipsa nos cogit. *Victoria gemini casus* dicere videtur poeta victoriam, quae pariatur hoste utrimque devicto sive strage hostium utroque in cornu edita. conf. Tacit. Ann. VI, 44. XII, 28. — v. 108. *testis quoque fallax Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes.* Sic Heynius, Huschkius, alii interpunxerunt: recte, nec potest aliter distingui. Rem docte

illustrat Heynius, ut de scriptura *Alpes* dubitari nequeat. Hostem perfidum et insidiosum devincere, est magnum aliquid ac difficile. Veruntamen modo *fortem Iapydiae militem* et paullo infra *Arupinum pauperem in armis natum* dixit: et Messalae bellica laus non tam ex fallacia, quam ex ferocia hostium quaerenda erat. Sed esto istuc quidem: iure autem Heynius negat, hostem propterea, quod semel fidem exuerit, fallacem sive ad fraudem ac perfidiam pronum et proclivem dici posse. Tales Parthi erant, quos Horatius *mendaces* et *infidos* vocat. At Romani in alios quoque populos, si servitutem detrectarent, haec probra iaciebant. — v. 112. *Terna minus Pyliae miretur secula famae.* Apparet poetam dicere, si quis viderit, quantum hi homines, etiamsi sint aetate provecti, corporis viribus valeant, minus eum admiraturum, quod Nestor cum nonaginta annorum esset, nondum aetate confectus fuerit. *Famam* poni posse pro iis ipsis, quorum nomina celebrantur, nemo ignorat: Pindari tamen loco (vide Dissen. ad h. v.) nimia locutionis audacia, qualis ista est, excusari aut defendi non potest. Pindarus enim Nestorem et Sarpedonem postquam nominavit, addit φάτις ἀνθρώπων. At iste bonus poeta *terna* dicit *secula famae Pyliae*: quod, nisi omnia me fallunt, iusto insolentius dictum est. Qui sequitur versus: *namque senex longae peragit dum secula vitae* a plerisque viris doctis subdititius habetur. Et est ille supervacaneus atque verborum *secula vitae* repetitione molestus. In subsequentibus verbis nihil video, quod sit ambiguum: praesens enim verborum *gaudet* et *sedet* satis indicat, non *Nestorem* dici, sed *Arupinos.* — v. 113. *Centum fecundos Titan revocaverit annos.* Vidit Huschkius, non posse *revocari* nisi ea, quae intermissa vel omissa essent aut etiam quae eo, unde profecta essent, redire cogerentur. Verum subito mutata sententia vitium scripturae, quod nonnullis in libris est, anteponit ipsi scripturae *renovaverit. Revocantur* nimirum dies festi, sacra, ludi: itemque, ubi tempus pro iis rebus, quae hoc ipso tempore aguntur geruntur ve, positum est, annus etiam et dies et nox certa aliqua revocatur. Apud Senecam autem, Epist. 93, quem locum Huschkius attulit, temporis spatium, qui annus vocatur, cum iisdem semper vicissitudinibus descriptum sit, recte dicitur per eas *revocari.* Sol igitur diem, lucem, annum revocat i. e. cursu suo facit, ut certus aliquis dies vel annus redeat, velut centesimus. eodemque modo Sol centies annum revocare potest: centum annos non potest: hos renovat i. e. cursu suo facit, ut confecto centum annorum numero alterum seculum incipiat. Atqui poeta intelligi voluit, Arupinos vel exacto centesimo aetatis anno viribus ac corpore valere. Quod adiectum est *fecundos* Heynius epitheton ornans dicit. Quid? nonne poeta de tempore solo loquitur? parum apte ergo locutus est. Nec tamen quidquam mutandum. — v. 115. Heinsii emendatio, quam Heynius non ita necessariam existimat, est una verissima. *Gaudet* enim cum infinitivo iunctum, ut Graecorum φιλεῖ, non tam *solere* significat, quam animi *caussa aliquid facere*: inde illud consequitur, ut tale quid saepius faciamus. *Validisque sedet moderator habenis.* Conf. Horat. C. III, 4, 56: et evolsis truncis Enceladus *iaculator* audax. Recte autem sensit Heynius, epitheton *validus* a sessore ad habenas translatum esse idque eleganter. Nec minus apparet, venustius dictum esse *validis sedet moderator habenis*, quam *validis sedens mode-*

ratur habenis. Ceterum *sedere* est fest sitzen. — v. 116. *Te duce non alias conversus terga domator Libera romanae subiecit colla catenae.* Sententia plana est. poeta dicit: cum eo hoste, qui antea nunquam terga verterat, nunc te duce debellatum est. In verbis tamen aliquid offensionis inest. Ut praetermittamus vocem *domator* (vide Reisig. schol. grammat. § 145, 1 p. 236), ellipsis verbi *equorum* durior est: in qua re valde dissentio a Dissenio, qui hanc vocem facile ex iis, quae paullo supra leguntur, repeti posse arbitretur. Etiam ordo verborum *Te duce non alias terga conversus — subiecit* mihi non admodum placet. *Libera terga* dictum, ut apud Horat. III, C. 5, 22: retorta tergo brachia libero. *Colla catenae.* Horat. II, 12, 12: ductaque per vias Regum colla minacium et II, 13, 13: catenas Parthus (timet) et Italum robur. — v. 127. *Nulla nec aerias volucris.* Recte Dissenius patrio sermone explicat: auch gleitet nicht kein Vogel. Apud nos hodie vulgus ita loquitur: apud veteres vel elegantissimis scriptoribus talia exciderunt. Vide Zumpt. ad Cic. Div. ep. 18 § 60. Huschk. ad v. 164. *Quin* optimorum librorum auctoritate stat. Quae vox cum hoc loco haud dubie *quae non* significet — vere enim vidisse mihi Huschkius videtur, verba *perlabitur* et *depascitur* pro tenui *est* posita esse — coniectura eiusdem viri docti *sit* haud indigna est, quae reponatur. Denique *aspera quadrupes* dictum est, ut apud Horatium *leo asper tactu.* tribui id epitheton omnino feris rapacibus, constat. Scriptura paucorum librorum *cum* cur repudianda sit, docet Dissen. ad h. l. — v. 134. *Additus aris.* Scaliger *abditus* legit idque, ut Heynius quidem testatur, ad Iovem *retulit.* quod qui fieri possit, non intelligo. Huschkius, cui eadem scriptura probata est, non *Iovem,* sed *ignem* ait dici *abditum.* Quam opinionem ut tueretur, et vocem illam mire interpretatus est et locum attulit Valerii Flacci huic dissimillimum. De interpunctione recte Dissenius. namque maximum distinctionis signum tollendum est post verbum *annuit*: est enim asyndeton idque explicandum »und sogleich leuchtete heller auf«. At, nisi fallor, ad vim asyndeti declarandam oratio minus commode comparata est. Scribendum erat: aut *affuit* Iupiter ipse — *annuit*: laetior *elucet*: aut *adest* Iupiter — *annuit*: laetior *eluxit* ignis. — v. 142. Hunc versum Heinsius et Lachmannus coniectura tentarunt: qua coniectura in tanta rei obscuritate nihil fieri potest felicius. Aliquam tamen suspicionem vox *Carystia,* quamvis depravata sit, in animo relinquit. *Arecteis* dubium nomen manet. Cum *arente Gynde* Xanthi arentem rivum (Virgil. Aen. III, 350) conferas. *rapidus Cyri dementia Gyndes*: intelligimus *olim rapidum*: non enim, dum rapidus erat, sed postquam a Cyro in trecentos rivos diductus et paene exsiccatus est, monumentum regiae dementiae exstitit. Conf. de hoc genere epithetorum Iacob quaestt. epic. p. 66. — v. 145. Lachmannus verba *ultima vicinus Phoebo tenet arva* parenthesis signis inclusit; quod mihi etiam molestius videtur esse. Schrader reposuit *vel* eumque secutus est Vossius. Atque ita legi in libro Monac. Huschkius testatur. Negari nequit, haud commode ea, quae a versu 140 exponuntur, cum verbo *remorabitur* iungi. Equidem puto post vocem *colono* maius distinguendi signum ponendum: cetera ita interpungenda esse, ut intelligatur, ea, quae subsequuntur, *Nec qua vel Nilus* usque ad vocem *armis,* membra seu partes esse eiusdem sententiae, cuius summa

verbis *Nulla tibi adversis regio se offeret armis* comprehendatur. Paullo supra poeta dixit: non Gallia, non Hispania, non Cyrenaica te remorabitur: tum variata oratione addit: nec qua Nilus, Choaspes, Gyndes, Araxes, Padaeus, Ister, Tanais fluit, denique qua Oceanus orbem terrarum ambit, ulla gens sese tibi adversis armis offeret. Pro *nulla* sane dicendum erat *ulla*: sed vid. v. 127 et 164. Male etiam v. 144. *qua* omissum est. Sunt et alia hoc loco, quibus appareat, huic poetae et ingenium et artem defuisse. — v. 151. *Circumfuso consistit in aere tellus.* Heynius scripturam vulgatam modo tuetur, modo deserit. Etiam Huschkius, etsi Martiani Capellae verba, quibus *consistit* firmatur, ipse attulit, Heinsii tamen emendationi *considit* calculum adiicit. At *consistit* et librorum auctoritate stat et re ac ratione probatur. Iure igitur illud a Lachmanno et Dissenio servatum est. — v. 157. Vehementer dubito, num omnino dici possit *Sol ortus super ingerit.* Conf. Virg. IV, 119. Ovid. Met. VII, 663. Recte igitur Lachmannus et Dissenius ex libris dederunt *super egerit ortus.* Dictum videtur esse ad similitudinem locutionis currus, equos, cursus *agere.* In subsequentibus *exsurgit* potius esse, quam *consurgit,* ipsa res docet. — v. 167. *Quas utrimque tenens similis vicinia caeli.* Sic Broukhusius ex tribus libris, quos Lachmannus dicit pessimos esse, divulgavit. Huschkius ex Ald. 1515 *similes* repositum vult. At hoc modo id ipsum, quod caput est totius rei, praetermitteretur. Exponenda enim caussa erat, quamobrem haec zona temperata esset. Retinendum ergo *similis.* De producta syllaba vide Dissen. ad h. l. — v. 168. Vossii *ut — necet* probari non potest: docet enim poeta, unde haec temperies nascatur. Particula *et* vicem particulae caussalis sustinet. — v. 175. *ubi praeclaros ierint tua facta triumphos.* Vulgata est *praeclaros poscent*: quam Heynius haud spernendam iudicat. At vero poeta Messalam dicit non ante triumphum, sed post triumphum tantam nominis famam consecuturum esse. In codice Cuiac. scriptum est *praeclaros ierint*: ex hac scriptura Scaliger refinxit *per claros ierint.* Cic. pro Balbo cp. 2. Pompeii res gestae omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragrarunt. Liv. 35, 12: peragratusque orbis terrarum victoriis eius gentis referebatur. Itaque aut sententia est: Messala in utroque orbe reportatis victoriis belloque finito magnus dicetur aut si iusti triumphi honores poeta intelligi voluit, *per claros ire facta triumphos* dictum est, quia, cum urbium captarum, castellorum, fluviorum, montium simulacra ad repraesentandas res gestas transveherentur, facta ipsa quasi per triumphum ibant. Altera tamen interpretatio mihi magis probatur. Lachmannus coniecit *cierint. Nomine triumphum cieri* ex Livio notum est. Sed hoc huc nihil pertinet: *facta* autem *cient triumphos* num quis veterum ea, quae hoc loco requiritur, significatione dixerit, nescire me fateor. — v. 180. *Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus.* Ex his versibus profecto nihil equidem dispicio, nisi poetam istum Valgio tantum tribuisse, ut eum existimaret posse, si vellet, res a Messala gestas dicere optime. Quemadmodum vero ex iis coniici possit, Valgium carmen epicum non perfecisse quidem, sed inchoasse tamen, non video. Itaque Weicherti opinio mihi magis, quam Dissenii probatur. *Aeterno* autem *Homero* dictum est, ut Ovidii illud (A. A. III, 413.): Ilias aeternum si latuisset opus. — v. 181 Ut collocata est particula *non,*

hunc locum necesse est hoc modo explices: *non, ut multorum, quos talis fortuna vexat,* noster labor peragit languida otia. *Ut mos est illi* i. e. ut fortuna adversa *defatigare* seu *opprimere poesis studium solet.* Si quae in his versibus languent, ut languent, poeta est reprehendendus, non librarii accusandi sunt. Ceterum Ovid. Trist. V, 12, 59: Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri a componendo carmine Musa potest. et paullo infra (v. 64): Ponitur iccirco noster in igne labor. Ibid. III, 14. 33. ingenium fregere meum mala. IV, 1. 95: Saepe tamen dixi: cui nunc haec cura laborat. Quae quam sint huius loci similia, apparet. Poeta dicit: quamvis cum adversa fortuna conflicter, tamen non langueo segni otio, sed componendis carminibus operam do. Quod Heynius pro *non* scriptum maluit *nec* i. e. *nec tamen* displicet; quid? *nec* hoc loco ne potest quidem ita explicari. Non magis *peragit* tentandum est. Narrat enim, quid eo ipso tempore agat: paullo infra, ubi legitur: *sed licet asperiora cadant, non te deficient,* futurum necessario ponendum erat. — v. 183. *Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret, cui fuerant* cet. Ita haud dubie distinguendum est, contra quam Heynius et Huschkius fecerunt, qui post *nam* interpungi iubent. Ordo enim verborum is est, quo verba *nam mihi* iungantur cum iis, quae infra leguntur, *nunc desiderium superest.* At duo sunt, quibus offendar: quorum alterum aequiore animo feram, alterum non item. Mallem esse scriptum: *nam mihi, cui magnis opibus domus alta nitebat, cui fuerant* cet. Ita enim tria, quibus pristina huius hominis opulentia cerneretur, exposita essent: domus lautitia, agrorum ubertas, pecoris multitudo. Ut nunc leguntur, poeta dicit: quo tempore mihi fertiles agri et laeta pascua erant. Verum esto istuc quidem. Magis mihi displicet ordo verborum mire turbatus. Dicendum erat: *Nam mihi, cui, cum ... niteret, — fuerant.* Nec traiectio vocis *cum* in elegantiis orationis numeranda erit. — Pro *ordine* nonnulli coniiciebant *horrea*: quod ne Dissenius quidem respuit. Crusius coniecit *distantes*: Heinsius *horrea culmi.* At neque geminandae vocis *horrea* ulla est ratio, et coniectura *distantes* vehementer languet. *Ordine* autem neque explicaverim *alius post alium,* quamquam in Alcinoi hortis τὰ μὲν φύει, ἀλλὰ δὲ πέσσει et in Italia *bis pomis utilis arbos*: neque cum verbis Horatii (Carm. III, 1. 9): *est ut viro vir latius ordinet arbusta sulcis* aut cum loco Virgiliano (Georg. II, 277.), quo tam egregie quincunx describitur, haec conferam: sed *ordinem* intelligo eum, quo et ducti erant sulci et demetebantur. Nam *flavi sulci* frumenta declarant: haec autem κατ' ὄγμον demeti solebant. *Horrea fecundas ad deficientia messes.* Conf. Virgil. Georg. I, 49: illius immensae ruperunt horrea messes. — v. 195. Ineptissime hoc loco nugari hominem, iure monuit Heynius, cui suffragatus est Dissenius. Idem Wunderlichium Horatii et Propertii auctoritate has ineptias defendentem egregie refellit. — v. 197. *Sum quodcunque, tuum est.* Hoc loco *tuum* valet *tibi dicatum*: apud Horatium IV, 3, 23: quod spiro et placeo ... *tuum est* significat *tibi debeo, tibi acceptum refero.* — v. 199. *non mihi regna Lydia, non magni potior sit fama Gylippi.* Alterum est notissimum. Conf. Hor. III, 16, 41. alterum autem nemo facile erit, quin miretur. Itaque Heynius, Huschkius, Dissenius, alii *Philippum* potius, quam *Gylippum* legendum censent. Id certe melius: at Achilles,

Alexander, nonne multo illi clariores, quam vir Macedo, qui auro plura, quam armis oppida cepit? convenit tamen et huius personae non minus, quam Achilli aut Alexandro epitheton *magnus*. Gylippus dux erat clarus, qui num omnino *magnus* dici possit, dubito. Poetam an librarios peccasse dicam, incertus sum. — vv. 200 sq. *Posse Meleteas nec mallem vincere chartas. Chartas* saepe pro *carminibus* positum esse, nemo ignorat. (Vid. Horat. IV C. 8, 20 et 9, 30. Ovid ex Pont. IV, 12, 27.) Vulgatam *mittere* tuetur Heynius: esse enim *emittere* seu *divulgare*: consentiunt ei Vossius et Bachius. Dissenius autem negat *mittere* unquam hac significatione a poetis usurpatum esse. Atque *chartas mittere* quis non putet dictum, ut *epistolam* vel *literas mittere* (conf. Ovid. Art. amat. II, 273.)? quod tamen ab hoc loco alienissimum est. Nam et divitias et bellicam gloriam, quin etiam eam ingenii famam, quae possit homericae poesi palmam eripere, sese ait posthabere gratiae et existimationi Messalae. *mittere* mihi videtur inventum esse, ut modestiae scriptoris consuleretur: sed istud crimen aliquanto levatur imperfecto *mallem*. Qui sequuntur versus *quod tibi si versus noster totusve minusve vel bene sit notus, summo vel inerret in ore* ab Heynio et Huschkio acriter exagitati propugnatorem nacti sunt Dissenium. Is enim asseverat, Huschkium falli, quod haec barbare dicta clamet. Sententiam esse, *totusve minorve pars toto* vel *sive totum carmen sive pars eius*: in sequentibus autem versibus constructionem ad potius genus, ad masculinum, redire. Haec ille. At vero quae est ista generis enallage, aut quis unquam latine dixerit *versus totusve minusve?* subsequentibus autem verbis *vel bene notus* quam ambigue dictum est istud ipsum *minus!* L. III, 1, 20. si nostri mutua cura est An minor, an toto pectore deciderim. Ovid. Fast. II, 154: Aut plus aut medium sole tenente diem. Metam. XI, 478: Aut minus aut certe medium non amplius aequor Puppe secabatur. At haec illis nullo pacto conferri possunt. Heinsii *totusve minorve* nihil expedit. Si scriptum esset *totus minor illis* sc. chartis Meleteis, planum esset, poetam dicere: *tanti* mihi est, a te laudari: *quamobrem si carmen meum, quamvis ad homericae poesis praestantiam ne adspirare quidem possit, tibi placuerit aut saltem non penitus displicuerit, ad summum studium poesis tuis laudibus consecratae accensus ero.* Quibus verbis aliqua foret similitudo cum Horatianis: Non si priores Maeonius tenet cet. (IV C. 9, 5). Ut vero nunc haec leguntur, inculta atque impolita et horrida sunt: explicent, sanent, defendant ea alii: equidem non contendam. — v. 204. *Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa*: supra III, 3, 9. *tunc cum.* Qui ordo verborum si hoc quoque loco servatus esset, nihil foret offensionis. Broukhusius ex libris nonnullis dedit: *quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa.* Atque vox *contegendi* proba est et aliorum scriptorum usu commendata. Sed recte Dissenius vidit, *tunc* retinendum esse potius, quam eiiciendum. In hac re ei consentio: sed negari non potest, hanc vocem male traiectam esse. Verum quae est istius poetae inertia, haec et alia eiusmodi non emendanda, sed ferenda sunt.

C. II. v. 7. Scriptura *movit* non deserenda est. Vid. Wunderlich. et Huschk. ad h. l. Quod in paucis libris pro *movit* legitur *flectit*, frequens quidem ac tritum (conf. Virgil.

Aen. VI, 546: *vestigia torsit*), sed hoc loco minus aptum est: quippe enim poeta ipsum *incessum* dicit. Res eadem commemoratur Ovid. Art. amat. III, 299: Est et in incessu pars non temnenda decoris, allicit ignotos ille fugatque viros. — v. 9. Simillima inversio est Ovid. Am. II, 5, 43, quem locum iam attulit Heynius, et Art. amat. II, 217 sqq. Huschkii coniecturam *fudit* merito improbata est Dissenio (vid. eius comment. de poesi Tibull. p. 160.). Etenim capilli nodo constricti simul ac solvuntur, ipsi funduntur. Quod cum ita sit, scriptor neutiquam eam migravit legem, contra quam Huschkius poetas negat unquam egisse. De re ipsa confer Horat. C. III, 4, 61. II s. 23. Ovid. Metam. IX, 90. Art. amat. III, 142. Am. I s. 10. — v. 13. *aeterno Olympo.* Quod in nonnullis libris reperitur *aetherio*, Heinsio, Vulpio, Huschkio non displicuit: multo subtilius Heynius et Dissenius rem indagantes scripturam *aeterno* germanam esse iudicarunt nec quisquam hodie ab iis dissentiet. — v. 16. Virgil. Georg. IV, 335: vellera *fucata* Horat. C. III, 5, 28: lana *fuco medicata*, quibus locis alii sexcenti addi possunt: nihilominus tamen stat scriptura *succis*. Plin. Natur. Hist. IX, 62: purpurae cum cerificavere, fluxos habent succos. Confer. omnino Heyn. ad h. l. — v. 19. *gemmas Proximus Eois colligit Indus aquis.* Scaliger cum Aldo pro *gemmas* dedit *conchas*, quod Heynio probatum est, quod in mari *margaritae*, non *gemmae* legerentur. Vide etiam Heins. ad Ovid. Art. am. III, 124. Egregie tamen Vossius et Huschkius scripturam *gemmas* ab omni suspicione defenderunt. Propert. I, 14, 12: Et legitur rubris gemma sub aequoribus. Ovid. Art. am. III, 129: Vos quoque non caris aures onerate lapillis, quos legit in viridi decolor Indus aqua. Quo eodem loco scriptura *aquis* contra Scaligeri coniecturam *equis* munitur: quae coniectura probari posset, si de Indiae situ ageretur: verum totius loci venustas, ut recte animadvertit Dissenius, in dilectu rerum inter se oppositarum cernitur. Itaque sicuti supra *bene olentia arva* et *odorata seges*, sic hoc loco *litus rubrum* et *Eoae aquae* iuncta et composita sunt. — v. 23. *Hoc solemne sacrum multos hoc sumit in annos: dignior est vestro nulla puella choro.* Varietas scripturae *sumit*, *sumat*, *summet*, *fumet*, nihil praebet, quod cuiquam placeat. Vulgata *celebretur* coniectura videtur esse. Depravatum esse locum viri docti inter se consentiunt: sed quae germana fuerit scriptura, incertum est: coniiciunt alii aliud. Lachmannus signo distinctionis post vocem *sacrum* posito *sumite* scribi iubet. Notissima locutio est *materiem sumere* explicandam, enarrandam: velut Horat. I. C. 12: quem virum sumis celebrare Clio. Sententiam vero viri docti volunt esse hancce: hoc sollemne sacrum sit: hoc sumite in multos annos *ornandum, celebrandum* (vide Dissen. ad h. l.). De vi praepositionis *in* Huschkius monuit: sed equidem adduci non possum, ut credam, *in* usquam idem valere, quod *per*: aliud est enim *per horas omnes*, aliud *in horas omnes* aliquem exspectare (conf. Prop. III, 29, 13.). Sed ut praetermittam omissum *sit*, num infinitivus aut participium verbi *cantandi* commode potest ex superioribus repeti? Dubito. In excerpt. Lips. legitur *servet*: inde coniicias *multos servetis in annos*: nec absurdum id foret, sed paullo languidius. Poeta modo dixerat: *hanc, Musae et Apollo, cantate*: deinde in ultimo versu dicit *nulla puella vestro choro dignior est.* Ex his ipsis verbis id certe

intelligitur, scriptum fuisse *sumite* potius, quam *sumet*. Loquitur autem poeta de solemni sacro, quo veteres diem natalem celebrabant (conf. Horat. IV c. 11.), ac precatur, ut idem multos per annos fiat i. e. ut puella diutissime vivat. Conf. Ovid. Trist. V, 5, 23: Vivat ... consumatque annos sed diuturna suos. Sententia igitur plana est: sed vox *sumet* suspecta ac dubia manet. Mihi in mentem venerat: Huic solemne sacrum multos hoc *solvite* in annos. Propert. III, 10, 31. annua solvamus thalamo solemnia nostro Natalisque tui sic peragemus iter. — C. III. v. 3. *acuisse in proelia.* Ovid. Metam. VIII, 1, 369: Dentibus ille (aper) ferox in querno stipite tritis. Res iam ab Homero commemorata est Il. XI, 416. XIII, 475. Vide Voss. ad Virgil. Georg. IV, 71. Heynius, qui scripturam *in pectora* meliorem duxit, a Vossio refutatur, cum aper non pectus venatoris, sed latera eius et coxas dente petat. — v. 4. Frustra nonnulli viri docti verba *venandi Delia cura* tentarunt. est enim *venandi cura* studium venandi, quo iuvenis animus occupatus erat. *Delia* autem pro *Diana* seu *delia dea* positum est. quamquam ut *delia furta* apud Statium, sic hoc loco *delia cura* dici potuisse non negaverim, tamen paullo est audacius dictum, ita ut mihi ab horum carminum elegantia abhorrere videatur. *Sed* positum est, quia puella, quae paullo ante *Amoris* mentione facta sese huic uni vacare fatetur, vehementer dolet, iuvenem suum studio venandi abduci; unde coniicit, plus hanc curam, quam amorem in animo adolescentis valere. Veruntamen id magis ex tota sententia, quam ex una particula *sed* cognoscitur, quam Dissenius dicit dolentis esse. Ceterum conf. Hor. I, 1, 26: Manet sub Iove frigido venator tenerae coniugis immemor. — v. 13. *Cervae* reposuit de coniectura Broukhusius. At ratio, qua ille ductus est, non tantum valet, ut scripturam *cervi* abiiciamus. Horat. I, 15, 29: cervus uti vallis in altera parte cet. — v. 15. Temere ab Heinsio *si* in *sic* mutatum esse, docet Dissenius. *Concubuisse arguar* sunt qui decentius dictum esse velint pro *concumbam*: equidem puellam aestu amoris vel libidinis eo delatam video, ut nihil curet hominum existimationem. Iure autem Dissenius verecundiam ridet interpretum in levanda libidinis prorumpentis foeditate male collocatam. Erat haec morum degenerum pravitas non ficta, sed vera, quae illis utique temporibus per sexum muliebrem latius grassata dolorem et iram graviorum hominum excitavit. Quorsus igitur haec turpitudo a similitudine *mythicae aetatis* repetatur? — v. 19 sqq. *Nunc* necessario reponendum esset, etiam si in nullo codice legeretur. *tange* (v. 20) in plurimis libris est: *tende* in paucis reperitur, sed Broukhusio, Heynio, Huschkio probatum est. Lachmannus *tange* retinuit eique assensus est Dissenius: ceteri *retia* negant sacra fuisse: sacrae autem res ne tangerentur, nisi puris vel castis manibus, cautum fuisse. At quid prohibet, quominus poeta fingat, puellam et de salute et de fide iuvenis sui sollicitam legem Dianae i. e. eam castitatem, qua haec dea et ipsa erat et omnes suas comites iussit esse, etiam ad instrumenta venatoria transferri eaque a iuvene nisi casta manu non tangi voluisse? Amor enim non minus est ad deludendas, quam ad inveniendas religiones sollers. Itaque etsi *tendere* et *pangere retia* locutiones sunt a scriptoribus saepe usurpatae, vulgata tamen *tange* tantum abest ut posthabeatur, ut hoc quidem loco alteri etiam anteponenda sit. — *et quaecunque*

subrepit (v. 21). In aliis libris *subrepit*, in aliis *subrepet* legitur: id cur ferri non possit, non dispicio: *ferri* dico: nam potiorem esse alteram scripturam, manifestum est. quippe, praesens enim sollicitudini puellae magis convenit. — *At tu venandi studium concede parenti.* Si puella latine locuta est, non potest *parens* nisi adolescentuli intelligi: si *puellae pater* diceretur, addito opus erat pronomine *meo* vel *mihi*. — C. IV. v. 1. *morbos expelle.* Haec scriptura satis munitur Horatii loco, quem attulit Broukhusius (Ep. II, 2, 137). Nec dubium esse potest, quin *expellere* fortius sit, quam *depellere*: illud enim declarat, morbum in medulla insedisse. Horat. II. C. 2, 14: nisi caussa morbi fugerit venis. Vossii *averte* nemini probabitur. — v. 3. *nec te iam.* Conf. II, 5, 19. Frustra igitur Wunderlichius ordinem verborum tentavit. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 6. *Neu notet informis pallida membra color.* In proxime superiori versu, ubi legitur *ne macies pallentes occupet artus;* facile possit coniici *languentes.* Est enim languor proprius huius morbi. Conf. III, 5, 27. II, 6, 49. Atque omnino corpus morbo affectum aliis quoque scriptoribus *languere* dicitur. At etiam *pallor* macie efficitur. Ovid. Epist. Heroid. XI, 27: fugerat ore color: macies adduxerat artus et ib. XXI, 215: concidimus macie: color est sine sanguine. Utrumque vero iunctum est ib. v. 13 sqq.: *languor* enim causis non apparentibus haeret: adiuvor et nulla fessa medentis ope: quam tibi nunc *gracilem* vix haec rescribere, quamque *Pallida* vix cubito membra levare putas? Naturae igitur huius morbi utrumque *pallentes* et *languentes* consentaneum est: sed displicet repetitio eiusdem vocis: mire etiam dictum est *inf. col. not. membr. pallida*: informis enim color sonat pallorem. Itaque Broukhusius pro *pallida* coniecit *squalida*; quam coniecturam refutavit Heynius, derisit etiam Huschkius. Huic admodum probatum est *candida*, quod Heynius ex ed. Roman. (vid. Lachm.) reposuit. Consentit ei quidem Dissenius, sed simul monet, Horatii loco, quem Vossius attulerit, rem minime transigi: illam enim puellam floruisse: at hanc aegrotare. Quidni igitur scribatur: *languida membra color?* Epitheton *candida* egregie quidem oppositum est *informi* et saepenumero poetae rei alicui epitheton adiiciunt, quod declaret, quae illius, prius quam corrupta et in deterius prolapsa sit, vis et natura fuerit (conf. supra IV, 1. v. 141): re tamen accuratius considerata cum Dissenio senties. (Vid. eius annot. ad h. l.) — v. 8. *Devehat,* quod Heinsius coniecit, reposuerunt autem Broukhusius, Heynius et Huschkius, et per se probum est et usu scriptorum probatur: at alterum *evehat*, quod Vossius, Bachius, Lachmannus et Dissenius dederunt, cum sit altero fortius et commendationem habeat librorum, servandum est. — v. 9. *sopores* explicant medicamenta soporem efficientia: sed rectius sentire videntur, qui omnino salubria intelligi ideoque *sapores* scriptum malint (conf. Virgil. Georg. IV, 62). Huic scripturae etiam Heynius in annotationibus suffragatus est. Huschkius autem etsi loci Virgiliani (Aen. VII, 757) probe meminit, tamen germanam scripturam posthabuit. Sex qui sequuntur versus in aliis libris alio ordine leguntur: de qua re nunc nihil attinet dicere: est enim dudum illa iudicio virorum doctorum confecta: sed mirari licet, quemadmodum in re tam manifesta quisquam haerere potuerit. De vi vocis *credula* conf. Horat. C. I, 5, 9. *Sedet* recte explicatum

est ab Heynio. Nec vero verbum simplex pro composito dictum puto: est potius in illo irrisionis quaedam significatio, quae in hoc nulla est: illud enim valet *festsitzen*, quod ipsum ridetur, quippe quod iuvenis, etsi absit, totum tamen puellae animum solus occupet. Itaque *sedet* explica: *adest ista turba et ita adhaeret, ut paene divelli nequeat, sed frustra.* — v. 22. *restituisse duos.* Horat. C. II, 17, 9: Ille dies utramque ducet ruinam. haec illis plane sunt contraria. — v. 23. *celeber* i. e. iam te precibus et sacris colemus. Conf. II, 1, 83. Virg. Ecl. I, 1, 7. — v. 24. *laetus* Huschkius refutata Heynii opinione egregie defendit. — C. V. v. 1. *Hic mihi sanctus.* Horat. IV, 11, 15: qui dies ... Iure solemnis mihi sanctiorque Paene natali proprio. — v. 3. *servitium.* conf. Id. C. II, 8 extr.: adde quod pubes tibi crescit omnis, servitus crescit nova. *dederunt.* vide interprett. ad Hor. II, 16, 38. — v. 6. *Si tibi de nobis mutuus ignis adest.* Heynius *de nobis* explicat de nostro igne quasi particula aliqua: cui consentiens Dissenius addit, *ut dimidia pars sit in utroque. De nobis* est von mir her. Iustin. IX, 1, 5 pecuniae commercium de piratica mutuatur. Simili modo dictum est hoc loco *de nobis mutuus.* Puella enim, cum fatetur, se uri, docet simul iuvenem, unde eius amor accendi possit. Quod Dissenius *de dimidia parte* monet, id ex voce *mutuus* potius, quam ex praepositione *de* cognoscitur. — v. 9. *Mane Geni.* In Gryph. 1546 *magne* legitur; quae scriptura unde profecta sit, Lachmannus incertum esse dicit. Antiquitus *mane* pro *bone* seu *sancte* dictum est. Sed recte Heynius, Huschkius, Dissenius iudicarunt, verba obsoleta ab huius carminis nitore et elegantia aliena esse. Consentio. Scriptura *mane veni* quin depravata sit, non dubito: requiritur enim nomen *Genii.* Heynius coniecit *Alme Geni*: Scaliger reposuit *magne.* Verum plerumque poetae Genii ita mentionem faciunt, ut nullo eius nomen adornent epitheto. nec tamen *naturae deus humanae qui temperat astrum* magnus appellari non potest. Atque Broukhusius narrat, in saxo Puteolano *magnum* eum dici. Propert. III, 10, 1. Mirabar, quidnam misissent mane Camenae .... Natalis nostrae signum misere puellae. Fortasse igitur legendum: *Mane, Geni, cape tura* cet. Sed videant acutiores. Pro *tura* Heynius quorundam auctoritate librorum confisus *dona* reposuit: quod idem Huschkio admodum placuit. At cum constet, tus praecipuam fuisse sacrorum partem, saepe etiam a poetis pro sacris poni, equidem non video, cur scriptura *tura* alteri cedat. De sexcentis locis satis erit attulisse Ovid. Trist. III, 13, 16. Horat. III, 23, 34. — *Calet.* In libris reperitur *valet*, inde vitio scripturae nata sunt *volet, velit. Calet* Itali dederunt. Res est plana: quo igitur plura? — v. 12. Quod est de Italorum coniectura *Tu precor*, probatum est Heinsio, Broukhusio, Vulpio et Heynio, qui II, 3, 64 contulit. At hoc loco nihil efficitur. Sana est scriptura *tunc.* est enim graviter dictum. Vide Huschk. ad h. l. — v. 16. *Nulla queat posthac nos soluisse dies.* Haec est bonorum librorum scriptura. In aliis autem libris legitur *quam soluisse*: in aliis etiam *posthac exsoluisse* vel *dissoluisse. nos* Statius et Scaliger receperunt: idem placuit Lachmanno et Dissenio. Heynio contra et Huschkio *quam* unam verissimam scripturam esse existimarunt. Ac sane permultis locis legitur *solvere catenam, vincula, nexus, nodos*: quis ignoret? Verum et asyndeton hoc loco magnam vim habet et

multo fortius est pronomen *nos*, quam relativum *quam*. Etenim cum poeta modo de vinculis mutui amoris atque catena, qua uterque teneretur, locutus esset, subito ad semet ipsum et puellam orationem ita transfert, ut quantum hanc catenam valere velit, ostendat: tantum autem eam valere cupit, ut nullum tempus ipsos possit solvere i. e. dissolvere. Ovid. art. amat. II, 385: Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores. Propert. II, 34, 5. Polluit ille deus (Amor) cognatos, solvit amicos. Praeter ea, quae dixi, illud quoque me adducit, ut scripturam *nos* praeferam, quod mihi relativum *quam* iniquo loco collocatum videtur. — v. 20. *annue: quid refert, clamve palamve roget.* Ita ante Muretum in libris legebatur. posthac divulgatum est *clamne palamne.* De duplice *ne* vide Forbig. ad Virg. Aen. I, 308. At quamquam haec coniectura usu scriptorum commendatur, scriptura tamen non derelinquenda est. Nam nec ullam habet interpretandi difficultatem et librorum auctoritate eximie firmatur. Explica: annue, roget ille clamve palamve, id enim nihil refert. Gewähre es; mag jener bitten heimlich oder laut: denn was liegt daran? — C. VI. Hoc carmen lepidum ac venustum qui ab ipso poeta, non a puella scriptum esse volunt, recte sentiunt (vid. Heyn. et Dissen.). — v. 1. *turis acervos.* In nonnullis libris legitur *turis honores.* Id receptum est ab Heynio, Huschkio, aliis. Ipse Dissenius, etsi scripturam librorum auctoritate firmatam non deseruit, *honores* tamen ait elegantius dictum. Recte istud quidem. Conf. I, 7, 53. Propert. IV, 6, 5. Ovid. Metam. XIV, 128. Trist. II, 1, 76. Neque iis, quae II, 5, 6 leguntur, *cumulantur arae*, scriptura *acervos* satis munitur. Verum quae est huius vocabuli vis et significatio, non abhorret a natura turis et facete dictum videtur. declarat enim, quantum turis puella ad conciliandam deae gratiam exstruxerit. *Acervus* est ὑπερβολικῶς, sed festive positum. — v. 2. *docta puella.* Recte Heynius et Dissenius doctam dicunt appellari puellam, quia poesi operam dederit. Catullo (C. 65, 2.) ipsae Musae *doctae virgines* nominantur. Quamquam igitur *amicae* poetis saepe *doctae* vocantur, tamen hoc numero ista puella habenda non est. — v. 3. Erant, qui pro *tota* scriptum mallent *lota*: hi vim locutionis *tota tibi est* non videntur perspexisse. Recte eam explicarunt Heynius et Dissen. ad h. l. — v. 7, *neu quis.* In aliis libris est *ne nos*, in aliis *neve id.* Scaliger dedit *ne quis.* Excerpt. Colot. *ne quid* idque Vossio probatum est. *Neu quis*, quod praebet Cui. vet., reposuerunt Lachmannus et Dissenius, cui tamen magis placet *ne quid.* Pontanus *nox*, Heynius *fors* coniecit, idemque Lachmannus ad Propert. I, 9, 19. Huschkius collato carmine octavo opinatur scriptum fuisse *rus. Nos* hic plane supervacaneum est: *ne quis* dummodo ne intelligas matrem, sed procum puellae aeque invisum atque matri acceptum (vid. Grupp. p. 46), haud spernendum erit. Pontani coniectura *nox* iam a Vossio explosa est: Huschkii autem commentum *rus* inane ac paene ridiculum. *Quid* tenuius est, quam quod cuiquam probetur. Ceterum pro *neu* malim *ne* scriptum. Dicit enim poeta: tu sancta fave, ut ne alius quis amantes divellat. — v. 8. Heynius mire haesit in particula *sed*, pro qua repositum vult *et.* Verum puella hoc loco sibi prudenter cavet. hac, inquit, condicione te oro, ut constanti amore iuvenem quoque mihi devincias. Hor. C. IV, 11, 23 tenetque grata compede vinctum. II, 12, 15. et bene mutuis fidum

pectus amoribus. — v. 9. *Ullae non ille puellae.* Vulgata *ulli,* cuius auctorem Lachmannus dicit incertum esse, probata est Heynio, qui alteram scripturam et vitio natam et numerorum iucunditati obesse iudicat. Huschkius negat *ulli non* pro *non ulli* usquam positum esse. Sententia sane est: nam nec ulla puella dignior est, cui ille serviat, nec ullus vir, cui illa serviat. Poeta brevius locutus est, sed immutata verborum constructione comparativi vim transtulit ad ipsos, iuvenem ac puellam, quos mutuo amoris vinculo copulatos vult. Itaque dicit: nicht verdient jener mehr, irgend einem anderen Mädchen, noch diese, einem anderen Manne zu dienen. Graece facilius rem explanes: *οὐ γὰρ δικαιότερος ἢ ἀξιώτερος ἐκεῖνός ἐστι δουλεύειν.* Conf. Propert. I, 13, 34. non alio limine dignus eras. Ceterum nemo non sentiet, minus ingratum auribus esse, *ullae* non *ille puellae,* quam *ulli* non *ille* puellae. quare *affectationis* crimen iniquius esse existimo. — v. 15. pro *et* in aliis libris *at* legitur: quam scripturam emendaturus Heinsius coniecit *en.* cumque secuti sunt Broukhusius, Heynius, Huschkius: assentitur etiam Gruppius (p. 60), qui se nescire fatetur, quid *et* hoc loco sibi velit. At modo dixit poeta: Ter tibi fit i. e. sacrum fit libo et mero: haec igitur dona sunt: his addere solebant *preces*: itaque *et* locum suum obtinet: auch schreibt die Mutter vor cet. In leni et aequabili orationis genere, quod per totum carmen regnat, mihi *et* magis etiam placet, quam *en.* Idem sentit Dissenius. Denique dubium non est, quin *optet,* non *optat* scribendum sit: apparet etiam, sanum esse *quod* (conf. II, 5, 18): sie sagt ihr das vor, was sie wünschen oder erflehen soll. *Studiosa* Dissenius pro adverbio positum dicit: ego illud ita explico, ut ad vim participii accedat »gar eifrig« *μάλα σπουδάζουσα*: quales matres in his quidem negotiis filiarum solent esse. — v. 16. *Iam sua* Scaliger ex Cuiac. dedit: accedit auctoritas cod. Reg. et ed. Rom. Planum est, quid dicat poeta. Heynius tamen putat, haec a nativo lepore et simplicitate huius carminis aliena esse. Dissenius contra, postquam ea explicavit *suum arbitrium*, *suos affectus sequens*, nonne, inquit, quae ita facit, iam *sua* est? Itali reposuerunt *iam sibi,* Heinsius *clam sibi,* ut II, 1, 84: palam pecori, clam sibi quisque vocet. Pers. Sat. II, 5: sibi introrsum et sub lingua immurmurat. Itaque Heinsii coniecturae plauserunt viri docti, ut Heynius, Huschkius, Gruppius. Atque is quidem verba *iam sua* male interposita esse dicit: at cur tandem commata ista non delevit, cum liceret? quidni construamus: und jene schon sich angehörig i. e. festen Sinns bittet anderes still im Herzen? Mihi *clam sibi* hoc loco displicet, non quod eadem his verbis sententia videatur subesse, quae verbis *tacita mente*: quis enim, qui veterum morem cognorit, id reprehendat? sed iccirco scripturam *iam sua* potiorem duco, quia praeclare his verbis significatur, puellam animo iam confirmato vel obstinato sese matris consiliis flecti non passuram esse: quod aeque ingenio Sulpiciae atque impotenti eius amori convenit. — v. 19. Vulgata est *sit iuveni grata: adveniet cum proximus annus.* Scaliger *sic iuveni grata* et in subsequente versu pro *adsit* ex Cuiac. *esset* dedit: quorum alterum quid sit, vix intelligitur, si quidem *grata* dictum statues (vide Heynii annot.) pro *grata re,* alterum autem ieiunum esse apparet. Praeterea non liquet, cur imperfectum positum sit. Statius Florentini libri vestigia secutus coniecit: *sic iuveni gratum;*

veniet cum proxim. annus, hic idem votis iam vetus ut sit amor. placet mihi *gratum* illud: cetera displicent. Heinsius legit *gratis* sc. votis: quod Heynio probatur. Huschkius opinatus est legendum esse: *sic iuveni placeat*, velut I, 10, 29: *sic placeam vobis.* Quam coniecturam etsi Dissenius elegantem ducit, scriptum tamen vult *grata* sive potius *cara, adveniet* vel *ac veniet.* Lachmannus emendat *gratae*: Gruppius denique, cum *si, sit, sic* saepe inter se confundantur, coniectat: *sis, Iuno, grata et veniet* ceter. *grata* explicat erkenntlich. Hanc suam coniecturam quemadmodum tueatur, ipse viderit. *Grata* quin puella dici potuerit, non dubium est. vid. Hor. l. III, 9, 1. gratus eram tibi. Propert. I, 2, 3: His tu semper eris nostrae gratissima vitae. Equidem tamen malim distinctum post *velit*, ut integra sententia proximo superiori disticho contineatur. Deinde et res et ipse etiam ordo verborum suadere videntur, ut legatur: Si iuveni (sc. Cerintho) gratum, veniet cum proximus annus, Hic idem votis iam vetus adsit amor. Si iuveni gratum est i. e. si iuveni placet, sicut placet, hic ei amor proximo anno hoc ipso die natali, ubi vota suscipi solent, iam vetus adsit. Ovid. Remed. 107: et vetus in capto pectore sedit amor. — C. VII. In primo disticho pro *pudore* legitur in multis libris *pudori*, pro *quam* nonnulli libri praebent *et* aut *at.* Denique pro *fama magis* Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt scripturam, quae auctoritate satis idonea caret, *minor*: Lachmannus autem et Dissenius vulgatam restituerunt. Gruppius videtur legisse: *texisse pudori, At nudasse alicui sit mihi fama magis.* Quibus in verbis praeter enallagen casuum *pudori* et *fama* nihil sane est offensionis. Constructionem verborum Dissenius hoc modo explicavit: qualem texisse fama mihi pudori magis, quam nudasse alicui i. e. si dicar talem texisse, magis id mihi sit pudori, quam si dicar eum amorem alicui nudasse. Ordinem verborum paullulum turbatum esse, Vossius monuit. Et est ita, quicquid contra dicit Dissenius. Locutionem *nudasse alicui* Huschkius omni suspicione liberavit. Propius tamen, quam locus ab eo ex Livio allatus, Ovidianum illud (II. Am. 5, 5) accedit: Non mihi deletae nudant tua facta tabellae. — vv. 3 et 4. Docte Huschkius verba *Cytherea Camenis* contra Heynium tuetur. *Illum* Dissenius ait intelligi *amorem*, etsi formosus adolescens, non Amor dicatur. At quamquam *amor* non raro pro eo, qui amatur, ponitur, tamen hoc loco cum dictum sit, *talis amor, qualem texisse, quam nudasse* cet., *amor* intelligi *iuvenis* non potest. *Iuvenem* autem pronomine *illum* significari, licet ipse nondum nominatus sit, id ex totius carminis argumento intelligitur. — v. 6. *sua* scil. *gaudia.* Itaque hanc scripturam Lachmannus et Dissenius merito ei anteposuerunt, quam Heynius et Huschkius servarunt, *suam.* — v. 8. Duplex negatio suspecta esse non debet (vid. Huschk. et Dissen. ad h. l.). Molestum fuit Heynio *quam — ante*: idemque offendit Vossium, Wunderlichium, Bachium, qui scribi iusserunt: me *legat, ut nemo.* Sed omnem mutandi libidinem repulsarunt Huschk. et Dissenius, quos vide ad h. l. — C. VIII. v. 3. Cum Sulpicia non propugnet nisi pro sua caussa, recte sentiunt, qui singularem numerum, *puellae*, hoc loco aptiorem dicant, quam pluralem *puellis.* — v. 4. In libris *Arretino* et *Aretino* legitur: ex quo Dissenius coniicit, villam Messalae in Etruria ad Arretium fuisse. Plerique

viri docti longinquitatem viae mirati *Eretino*, quod dederunt Itali, aut *Reatino*, quae est coniectura Huschkii, legi maluerunt. Arretium enim mille sane stadia ab urbe aberat (vid. Strab. l. V. p. 226): hoc iustum iter est. In subsequenti carmine legitur quidem *iter ex animo sublatum triste puellae.* Atque Dissenius parentes opinatur voluisse hoc itinere puellam quam longissime e vicinia Cerinthi semovere. Cui quamvis consentias, est tamen, quod mireris, ad celebrandum diem natalem huiuscemodi itineris molestias exhiberi. Veruntamen in hac re nobis prorsus ignota cum nihil certi statui possit, praestat retinere scripturam, quam aliud quid reponere, quod nec magis exploratum sit et dubia auctoritate nitatur. — Pro *amnis* in nonnullis libris reperitur *annus.* Quod etsi ab incerto auctore profectum est (vid. Lachm. annot.), Heinsius tamen, Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt. Inde natalem Sulpiciae iidem in tempus hibernum incidisse coniiciunt. Videlicet hiems ruri, quam in urbe tristior est. At cum villa commemorata sit, non absurdum erit opinari, omnes regionis amoenitates a Messala summopere laudatas esse, ut animum puellae alliceret. Heinsius, cum *amnis* languere ei videretur, *Arnus* coniecit, quod est in codice Thuaneo. Concedam, intelligi hunc fluvium: multum tamen abest, ut appellativum putem suo loco movendum. Namque puella contemtim haec iactat: qui fluvius iste esset, certe non ignorabant ii, ad quos haec scripta erant. Was soll, inquit, dem Mädchen eine Villa, was der Fluss im Arretiner Gebiete. Tiberis urbem praefluens puellae solus placuit. *Frigidus* autem, quod fere tribuitur fontibus ac fluminibus, hoc loco puto cum delectu positum. Concupiscit enim Sulpicia calores non aquarum quidem, sed alios. Fortasse Messala villae amoenitatem, prospectum in amnem praeterfluentem commemoraverat: frustra: puella haec omnia prae Cerinthi consuetudine flocci habet. — vv. 5 sqq. *Iam nimium Messala mei studiose quiescas, Non tempestivae saepe propinque viae.* Manifestum est, *mei studiose* cum urbana irrisione dictum esse: erat enim puellae hoc sui studium perquam molestum. Etiam *quiescas* nullam habet explicandi difficultatem, sed quae sequuntur, tam impedita sunt, ut vix possint extricari. Videtur locus depravatus. Ac primum quidem *non tempestivae* pro *intempestivae* positum dicunt. Esto. Tum *propinque* Wunderlichius comparat Graecorum ἐγγὺς εἶναι idque interpretatur *saepe iter intempestivum suscepture* h. e. qui non semel mihi molestus fuisti itineribus intempestivis. Vulpius quoque *propinque* explicat *identidem cogitans*, velut Luc. Pharsal. VI, 1: duces pugnae mente propinqui. At neutrum probari potest, ut recte vidit Dissenius. Huschkius vocem *propinque* non aggreditur: *saepe* oppugnat. Heynius scribi vult: quiescas, non tempestivam sic properare viam, aut quiescas, non tempestivae spemque relinque viae. quorum alterum iam propterea, quod sequitur *relinquo*, altero est deterius. Dissenius et Huschkius omni coniectura abstinuerunt. Prudenter. Licebit tamen, quae de aliquo loco depravato meditatus fueris, etsi non assequaris, quod volueris, proferre et cum aliis communicare. Itaque breviter dicam, quid de toto loco sentiam. *Quiescas* aut absolute positum erat: tum vero significat ruhe, gieb dich zufrieden, beunruhige dich nicht weiter: aut erat arcte cum sequentibus verbis copulatum: tum vitio scripturae infinitivus verbi alicuius videtur intercidisse. Nam iungere

illud cum genitivo, ut valeat *cesses, desistas hac intempestiva via*, quis audeat! Equidem interpungam post *quiescas*, ut nova sententia incipiat a voce *Non.* Nec tamen *non* in omnibus libris legitur, sed in Parisiensi et Vindob. est *neu*, in Colbert. *heu* (vide Huschk. ad h. l.). Verbis autem *saepe propinque* quid quaeso fiet? Offendit vocativus *propinque*, cum paullo supra idem casus, *studiose*, positus sit. sed, modo commode haec explicari possint, nihil morabimur alterum istum vocativum: mira tamen illa commenta novaeque verborum interpretationes non placent. Preme vestigia scripturae, fortasse erues *saeve propinque*: nihil amplius. Apage istas nugas! Lego: Non tempestivae, quae procul urbe, viae. Audacius, inquies. Ergo tu ipse vide, num quid melius excogites. Fruar invento tuo et laetabor. — v. 9. *Arbitrio quoniam.* Vulgata est *arbitrii*, quod dedit Heinsius de coniectura. Legitur idem in uno Italico. Haec tamen sive scriptura est sive coniectura, ab Huschkio convellitur, cui consentit Dissenius. Pro *quoniam* in aliis libris est *quamvis.* Statius reposuit: Arbitrio quamvis non sinit esse meo. At iure viri docti haec reiecerunt. *Arbitrio meo esse* dictum est, ut Cic. Epistol. ad Att. V, 14, 2. magno timore sum. — C. IX. Inscriptione huius carminis (vide Heyn. et Huschk. ad h. l.) inducti non deerant, qui hos codicillos a Sulpicia ad Cerinthum datos opinarentur. In quibus est etiam Gruppius: qui cum vidisset, esse eundem natalem idemque iter, de quo paullo supra questa esset puella, utroque loco Cerinthi natalem dici statuit. Quod si altero in carmine natalis ipsius puellae dici videretur, id excusandum esse: nam a muliere haec esse scripta, cui haec venia danda esset, ut suo dicendi genere uteretur. Haec vero docti viri opinio neque satis est confirmata et occurrunt alia, quae me moveant, ut Dissenio consentiam, qui ab amico Cerinthi haec scripta esse existimat. — In primo versu recte Vossius interrogandi signum posuit. In altero versu Scaliger legit *iam licet esse tuo*, ut est in codice Cuiac. In libris editis reperitur fere: *non sinit esse tuo. non* stare non posse, apparet. Itali dederunt *nunc*, equidem mallem scriptum *nam.* In paucis libris legitur *sinet.* futurum quin possit defendi, haud dubium est. praesens tamen multo est aptius. Broukhusius cum opinatus esset, haec ad Messalam ipsum scribi, refinxit: *iam sinis.* Huschkius autem ratus, Sulpiciae natalem intelligi, scripsit *meo.* Equidem unum illud probum ac sanum duco, quod ex Aldin. Dissenius restituit, *suo.* Ceterum cum carminis octavi extremo in versu legatur *non sinis esse meo*, non temere repudianda erit scriptura *iam sinit* scil. Messala, atque ita Wunderlichius haec interpretatus est. At vero si supra accusativus *me* non admodum requiritur, hoc loco ut pronomen non ita desideres, positum tamen malis. Quid? si scriptum erat: *Natali Romae iam sinit esse tuam.* Quis iste esset, qui *sineret*, etiam si non esset nominatus, satis ei, qui hos codicillos accipit, cognitum erat. — In versu tertio iis, qui a puella haec scripta voluerunt, offensioni erat vox *omnibus.* At recte vidit Dissenius, esse eos *amicos Cerinthi.* Quae igitur vox Heynio et Huschkio frigere videbatur, ea egregie declarat, qua caritate ac gratia amici Cerintho coniuncti fuerint. Quod Vossius ex unius libri margine pro *natalis* reposuit *genialis*, id nunc praetermitto; res enim iam confecta est a Dissenio. — In quarto versu Heynius cum *forte*

recte interpretatus esset, tamen hanc ipsam vocem coniectura tentavit. Scribi autem iubet: *Cum nec opinanti candidus ille venit.* Etiam Huschkius hunc locum depravatum putat. Equidem nihil in eo vitii deprehendi. *Nec opinanti* significat, iuvenem iam eo adductum fuisse, ut omnem spem abiiceret. *Forte* autem valet *forte fortuna*: quaenam ista fuerit, nos quidem ignoramus: sed quid refert? Nec vero *dies natalis* ei inopinatus venit, sed opportunitas eius diei Romae celebrandi inopinanti obvenit. — C. X. Breve carmen, sed ad explicandum difficile: quae interpretandi difficultas sollertiam virorum doctorum elicuit. Gruppius exemplum istud dicit esse latinarum literarum rarum quoddam ac prope singulare. Equidem concedo, multa in hoc carminum genere reperiri, quae sint obscurius dicta: illud tamen persuadere mihi non possum, puellam, quae hos codicillos scripserit, latine scribendi imperitiorem fuisse. Atque in iis carminibus, quae Gruppius ab hac ipsa puella scripta vult, pleraque nitide et eleganter scripta sunt. Qui tandem existimes eandem latine scribendi peritam atque imperitam fuisse? Scribat aliter vir, aliter mulier: latinitas aut eadem est aut nulla: sexus ad eam nihil pertinet. Sed de hac re alias: nunc ad carminis interpretationem aggrediamur. — *Gratum est* cum stomacho et irrisione dictum esse, omnes, quod sciam, interpretes consentiunt. *Multum* potest ad verbum finitum *permittis* vel *promittis* referri: sed ita iunctum friget: rectius iunges cum voce *securus*, ita ut sonet *valde*. Pro *permittis* Heinsius de coniectura dedit *promittis*: atque *promittas* in Regio legi, Heynius testis est. Quod si *promittis* legitur, aut construas necesse est *multum de me tibi promittis* aut si verba *multum de me* iunxeris cum voce *securus*, dictum erit, *tibi promittis*: illud non ita expediri potest, ut cum iis, quae sequuntur, concinat: hoc omnino expediri nequit. Nam quod Dissenius putat, intelligendum esse, *fore nimirum, ut puella hanc Cerinthi perfidiam toleret*, id mirificum viri docti commentum est. Eiusmodi ellipsis nova sane foret et plane inaudita. Heynius vulgatam *permittis* hoc modo explicat: per te mihi licet quidvis agere, cum quolibet vivere, cum amatores de puellarum moribus et consuetudine valde solliciti et curiosi esse soleant. Atqui Heynius Cyllenium secutus *de me* cum voce *securus* iunxit: easdem ergo voces et ex verbo finito et ex adiectivo *securus* aptas esse voluit. Nec tamen id tam displicet, quam tota eius opinio, quae mihi huius loci sententiam pervertere videtur. Sed de hac re paullo infra: nunc cetera persequamur. *Subito ne male incpta cadam.* Haec verba ex voce *securus* pendere volunt. esse enim *securus* hoc loco *nihil veritus*. Posse *securus* ita explicari, non nego: apta esse ex eo verba *ne male cadam*, nego. Quid vero est *cadam*? Verbum nequitiae, inquit, velut apud Plautum (Pers. IV, 4, 105) et apud Senecam (controvers. I, 3). Video: sed apud alterum cum leno dicit *Ne, sis, plora: libera eris actutum, si crebro cades*, statim intelligitur, quid dicat: apud alterum acumen est in amphibolia huius vocis positum. At hoc loco puella loquitur, lascivior sane (vide carm. 3), sed nunc iracunda et generis nobilitate superbiens: quae num tale quid iactaverit, valde dubito: at quemadmodum viri docti haec ipsa verba explicant? Heynius: male inepta, inquit, est nimis stolida, nempe quae tam pulchrum iuvenem alii fortasse minus formoso postbabeat eique subsidat, velut apud

5 *

Propert. II, 29, 14: *haec te non meritum totas exspectat in horas: At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.* At haec plana sunt et ad intelligendum facilia. Liquet, cur se Propertius *ineptum* dici voluerit nec minus apparet, quamobrem *nescio quas* cum contemtione quadam dixerit: nempe scribit ad Cynthiam. Quid autem hoc loco probatur? Nihil, nisi *ineptum* valere fere *stolidum*: de qua re neminem unquam dubitasse credo. Heynio Dissenius consentit. Gruppius patrio sermone haec explicat: so dass ich plötzlich enttäuscht, um so tiefer falle. non convertit ille quidem ut interpres, sed sententiam loci melius, quam illi, assecutus est. Equidem *cadere* confero cum Graecorum πεσεῖν. conf. Soph. Oed. Colon. 396. κἄλόν γέ μέντοι μὴ 'ξ ἀβουλίας πεσεῖν. Eurip. reliq. Inc. ἐξ ἐλπίδων πίπτοντάς ὑπτίους ὁρῶ. Propius fortasse accedit illud nostratium »aus dem Himmel seiner Hoffnungen fallen«. *Sit tibi cura togae potior pressumque* cet. Haec vulgata est, quam tuetur Ayrmannus, reiicit Heinsius. Is coniecit *si tibi cura toga est,* quia sequitur *pressum scortum,* non genitivus, pressi scorti. Consenserunt Heynius et Huschkius. Dissenio *si* probatur, *toga est* non item, quamquam in codice Askew. ita legitur (vide Huschk. ad h. l.). Vidit enim, posse ad *scortum* intelligi *potius.* Totum autem locum idem vir doctus hoc modo interpretatur: ridet, inquit, puella Cerinthum, quod nimis securus sit de favore suo: erras, ait, quod aeternum esse favorem meum credis. Si tu aliam amas, sunt etiam mihi admiratores. Sin posueris *sit,* dicet: habeas tibi alias, nihil refert, non doleo: sunt mihi alii admiratores. Sed haec non est mens eius. Revera dolet et ne ironice quidem permittere vult, credo, quod sic ponimus. Haec Dissenius: at si quid video, *sit* multo est melius, quam *si,* sive ea scriptura sive emendatio est. Simulat enim puella, nihil sese hac re moveri: at quo dolore perculsa sit, praeclare ex eo ipso intelligitur, quod tam acerbe istud *sit* iactat. Hinc etiam contemtio illa, qua puellam sibi suspectam proculcat. Enallage casus ad commotionem animi apte convenit. Iure igitur Lachmannus et Dissenius *togae* legerunt. *Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est, Ne cedam ignoto maxima cura toro.* Locutio *sollicitum esse pro aliquo* nihil habet offensionis (Terent. Heautont. I, 1, 77. Hem tot mei solius solliciti sunt causa.): sed in ceteris verbis explicandis interpretes dissentiunt. alii enim *quibus* relatum volunt ad pronomen *nobis*, ita ut Sulpiciam putent fateri, istam puellam sibi dolori esse: alii contra *quibus* ex voce *solliciti* pendere arbitrati sunt: dedecere enim puellam, quamvis stomacharetur, tam aperte dicere, hac amatoris perfidia sese dolore affectam esse. Atque hi quidem prudenter saltem et ad ingenium muliebre accomodate. Heynius in suo iudicio fluctuat. Equidem puto, puellam haec dicere, ut animum amatoris pungat: cum aliis eam suas suspiciones communicasse non credo: nec verisimile est, qui puellam ipsi omni modo ambirent, doluisse, quod Cerinthus scorto eam posthaberet. Quippe enim potuissent sperare, amantium discidium fore. Quod cum viri docti sensissent, *dolorem* explicarunt *Aerger.* Gruppio *illa* videtur esse ipsa Sulpicia (vid. eius libr. pag. 52). Denique *ne cedam* plerique viri docti legerunt, spreta varietate scripturae *nec credam. Cedam* Statius emendavit (sed vid. Huschk. ad h. l). Solliciti sunt, inquit Heynius, qui dolent, Sulpiciam, puellam nobilem, quamque ipsi

petant, indigno metu teneri, ne scorto ignoto posthabeatur. Legit enim vir doctus *maxima cura,* non *maxima caussa,* quae varia scriptura est. Fuisse enim Sulpiciam, ut Horatii Barinen (C. II, 8, 8), maximam curam nobilissimorum invenum. Postmodum tamen mutata sententia *turba*, quam *cura* legi maluit. Huschkius ne vox *cura* in tam brevi carmine iteraretur, scripturam *caussa* potiorem duxit, deinde secum ipse dissentiens alteram scripturam praefert: *maxima* enim *cura* et *cura togae* inter se esse opposita. Dissenius in ceteris Heynio consentit: legit tamen *caussa,* quam locutionem ex foro traductam vult; Gruppius eandem non poeticam esse, sed vulgarem putat. Haec argutius, quam verius videntur explicata. Ego quos *sollicitos pro se* puella dicit, admiratores eius intelligi posse non modo non nego, sed ab amatore intelligi voluisse Sulpiciam arbitror. Nam gloriose loquitur, ut perfidi amici animus mordeatur. Revera autem dicit parentes ac necessarios, quibus ea maxima doloris caussa esset, quod tam nobilis *puella toro ignoto cedere* i. e. homini ignoto nubere vellet (vide Huschk. ad h. l.). Itaque pro *dolori est* legi malim *doloris.* Ordo verborum perturbatus commotiori animo puellae convenit. Totum carmen patrio sermone sic explico: Ei recht dankenswerth ist, was du meiner schon völlig sicher dir verstattest, dass ich nicht als eine grosse Thörin unerwartet falle. Mag immerhin dein Herz zu einer Toga und von der Last des Wollkorbs gedrückten Dirne mehr sich hingezogen fühlen, als zu des Servius Tochter Sulpicia: besorgte Seelen finden sich für mich, denen das den grössten Kummer macht, ich möchte unedlem Ehebündnisse zum Opfer werden. — C. XI. *Quod mea.* Heinsius *dum* emendavit, ad cuius emendationis similitudinem proxime accedit scriptura cod. Voss. I. *quum.* Vulgata *qui* constructionem impeditiorem reddit, quam ut pro germana scriptura habenda sit. Itaque Lachmannus et Dissenius servarunt *quod* i. e. in Bezug darauf, deshalb weil. Recte: sed cur uterque vir doctus virgulam post vocem *puellae* non posuerit, cum in unam sententiam haec cogi non possint, non perspicio. In prosa oratione certe scribendum fuisset *cuius corpus.* — *fessa*: conf. Horat. C. S. 63 et Tibull. I, 5, 9. — v. 5. Statius et Scaliger ex suis libris dederunt *Ah.* Broukhusio, Heynio, Vulpio, Huschkio probatum est *nam*, quod reperitur in Ald. *At* ex Cuiac. Vet. Lachmannus et Dissenius restituerunt. Etenim sententia est: id opto, quia puto te ita fieri velle: at si secus esset, ergo si me non amares, nollem. Recte autem Huschkius monuit totum id distichon esse quasi ἀνακεφαλαίωσιν sive elegantem conversionem distichi superioris. Quapropter Dousae et Heinsio consentit, scribendum esse *si tu.* Libri nimirum variant: in aliis *ubi tu*, in aliis *quid tu, nam tu, quum tu* legitur. — *lento.* conf. Propert. I, 15, 4: Tu tamen in nostro lenta timore venis. 6, 12. Ah pereat, si quis lentus amare potest. — C. XII. In primo versu *sim* verissimum est. Nam etsi *sit* ferri posset, si in pentametro scriptum esset *video*, tamen ne sic quidem omnia sana forent: desideraretur enim genitivus *mei.* Scripturam *tam* vox proxime collocata *aeque* convellit. Legendum igitur *iam.* Ita omnia plana et expedita sunt. Pro *ac* in paucis libris (vid. Huschk. ad h. l.) *ut* scriptum est. Quin ita dici possit, hodie nemo dubitat. at altera scriptura et auctoritate librorum confirmatur et ipsa per se multo est melior. Vide Hand. ad Tursell. de

partic. Tom. I, p. 193. — C. XIII. v. 1. *Nulla tuum nobis subducet femina lectum.* Explicant: nulla femina lenociniis formae aut aliis artibus me abs te unquam abducet. Et est haec verborum sententia. Apud Propert I, 8, 45: rivalis certos amores alicui subducit et I, 13, 28 puella non sinet abduci amatorem. Atque si quid alicui subducitur, res ei, non ipse rei callide vel fraudulenter eripitur. Hoc loco poeta non puellam sibi, sed se puellae negat ab ulla muliere unquam ereptum iri. Intelligitur, Propertium proprie, Tibullum improprie locutum esse. Nam verba *nobis subducet* valent *mihi ex animo subducet*: paullo audacius tamen his adiunxit *lectum* i. e. amoris furtivi consuetudinem: sic animum a figurata verbi *subducet* significatione rursus ad propriam eiusdem vocabuli vim traducit. Horat. IV, 11, 32: Nec enim posthac alia calebo femina. — Pro *nobis* mira germanae scripturae depravatione in paucis libris legitur *titulis*. conf. tamen Huschk. annot. ad h. l. — v. 2. *iuncta Venus.* Haec Homericis ὁμωθῆναι φιλότητι conferri possunt. Quod in cod. Reg. legitur *pacta* originem duxit ex frequentissima illa locutione *foedus pacisci*: quae per se proba huic tenerrimo amoris foederi parum accommodata est. Altera autem scriptura *vincta* usu quidem loquendi firmatur, sed non minus ab hoc loco aliena est. Nam quod foedus *initum* est, id non continuo *vinctum* est: quod sola gratiae et consuetudinis diuturnitate efficitur. — v. 3. *Tu mihi sola places.* Scaliger ex suis libris, quibus plurimorum librorum auctoritas accedit, *modo* pro *mihi* dedit. Vulgata tamen placuit Broukhusio, Heynio, Huschkio: non item Lachmanno, qui Scaligero assensus est. Heynius et Huschkius *modo* natum putant compendio scripturae, iisque suffragatur Dissenius. Ego non dubito quidem, quin Romae olim bona pars hominum ita locuta sit: vulgus etiam hodie apud nos saepe eodem modo loquitur *nur allein* neque omnia sunt reiicienda, quae vulgaria videantur esse: nec tamen plebeii sermonis usu ita delectatum esse Tibullum credo. Ipsa partium, ex quibus hoc distichon constat, ratio ea est, quae postulet, ut *mihi* reponatur. Nam verbis *tu mihi sola places* accurate respondent ea, quae sequuntur: *nec iam praeter te in urbe ulla puella formosa est meis oculis*: illa brevius, haec ornatius dicta sunt. Denique scriptura *tu mihi sola* commendatur etiam similitudine locorum, quos viri docti ex Ovidio (Art. am. I, 42) et Propertio (II, 17, 19) attulerunt. — v. 5 sq. *atque utinam possis uni mihi bella videri: displiceas aliis: sic ego tutus ero.* Non modo librorum auctoritate, sed etiam scriptura *posse*, quae quidem depravata est, *posses*, quod Lachmanno placuit, firmari videtur. Lachmannus enim ita distinxit, ut verba *displiceat aliis* ab iis, quibus addita est particula *utinam*, seiungantur. Quae distinguendi ratio mihi probatur: probata est etiam Gruppio, qui vertit: Möcht' auch keiner, als ich, so schön dich finden, Geliebte! Missfall' anderen, dann bin ich gesichert fürwahr. Nam si *displiceat* poeta cum voce *utinam* iunctum voluisset, posuisset haud dubie particulam copulativam: asyndeton certe iniucundum foret. Nec vero si poeta non ignoravit, multos esse, quos forma puellae caperet, iccirco necessario reponendum est *posses*: etenim qua de re hic agitur, ea res non ad illam pedestris sermonis legem tam severe exigenda est, ut in ἀδυνάτοις numeretur. Quocirca nihil obstat, quominus *possis*, quod nonnullis in libris est, ponatur: ac re-

posuerunt illud Broukhusius, Heynius, Huschkius et Dissenius. Verum cum *displiceas*, ut distinxit Lachmannus, non pendeat ab *utinam*: altera autem scriptura idonea auctoritate nitatur, altera careat, utra reponenda sit, apparet. Similiter paullo infra (v. 9) Lachmannus et Dissenius restituerunt *possum*: Broukhusius contra, Heynius, Huschkius, id quod in paucis libris legitur, *possim* scribi maluerunt. *Possim* cum ad futuri vim accedat, nihil habet offensionis. At altera scriptura praeferenda est. Indicativo enim animus a spe incerta ad veritatis necessitatem revocatur sive ut Dissenii verbis utar, indicativus vividiori phantasiae poetae magis convenit. Mire autem haesit Heynius in voce *sic*. Sententia, inquit, videtur postulare: *si tecum esse liceat*: fortasse igitur legendum: *tecum ego secretis*. Quam Heynii opinionem non opus est refellere. — v. 15. *Haec tibi sancta tuae.* Altera scriptura *per tibi sancta tuae* unde orta sit, supersedemus dicere: satis de hac re dixit Huschkius, quem vide. Vulgata usu poetarum et latinorum et graecorum affatim munitur (conf. Huschk. ad h. l., Heyn. et Thiel. ad Virgil. Aen. VI, 324). *Hoc* autem pro *haec* videtur aliquis scripsisse, qui non intellexisset, *haec* iungendum esse cum voce *numina*: de qua re praeclare monuit Broukhusius. — v. 16. *Mihi* pro *tibi* Scaliger ex libris reposuit, ut poeta genium puellae suae sibi omnium Deorum esse maximum diceret. Vulgata *tibi* cum idem pronomen in hexametro positum sit, quod et insuave est et inutile, alteri scripturae longe est posthabenda. — v. 17. Scriptura *credo* defensorem nacta est Heinsium ad Ovid. III. Art. am. 4, 86: hodie vix quisquam erit, quin eam improbet. *Cedo* Heynius et Dissenius interpretatione ita firmarunt, ut de hac scriptura iam dubitari nequeat. Pariterque contra Scaligeri commentum, quod Broukhusio imposuit, scriptura *proderat* omni ex parte communita est. Dudum Statius ita emendaverat. Res plana est: antequam poeta iuravit, puella metu, ne ab eo posset deseri, continebatur: hoc metu sublato habenae ei admissae erant (conf. Heyn. ad h. l.). Variam scripturam *notae, nocte, nostrae* (v. 22) satis est commemorasse. *notae* recte Heynius explicavit *cuius servitio assuetus sum.* — C. XIV. v. 1. *Rumor ait, crebro nostram.* In nonnullis libris est *crebro* post *nostram* positum: qua verborum consecutione omnis sane ambiguitas tollitur. Id fortasse Huschkium permovit, ut ita scribi vellet. Verum apparet, voci *crebro* plus esse ponderis, quam voci *nostram*: nec cavendum, ne quis imperitior *crebro* cum verbo *ait* iungat. Itaque mihi quoque persuasum est, legendum esse *crebro nostram*. Paullo infra (v. 3) Pontani coniecturam *iacta* scripturae anteponendam puto. Quid enim? num quemquam recentiorum auctoritas librorum potuit adigere, ut in eodem versu *carmina* pro *crimina* legeret? Non negaverim, dici posse *crimen facere alicui.* Apud Propertium tamen IV, 4, 43, quem locum Dissenius attulit, Tarpeia dicitur factura magnum crimen puellis romanis i. e. allatura magnum probrum seu dedecus (der ganzen Mädchenwelt werde sie grosse Schande bringen.). Ovid. Am. II, 633: famaque non facto crimine crimen habet. Heinsius ex libris dedit *non tacto corpore*: quae mihi interpretatio videtur esse germanae scripturae Cic. pro Flacco c. 14: crimen sibi facere i. e. criminationem facere seu criminari. Itaque quamquam scriptura *facta* defendi potest, tamen *iacta* melius quadrat ad rumores seu sermones hominum; digna

gitur Pontani coniectura erat, quae Heinsio, Heynio et Huschkio probaretur. Minus probabilis est coniectura Mureti *ficta* (conf. Propert. I, 12, 1). Poeta enim dicit, hos sinistros rumores magno cum dolore suo dispersos ac disseminatos esse. Ceterum Dissenius et Gruppius hoc epigramma in Glyceram, Vossius in Nemesim, quam nonnulli viri docti hanc ipsam Glyceram fuisse volunt (conf. Grupp. l. commem. p. 220 sqq.), scriptum opinantur. Facetum illud esse video: utrum a Tibullo scriptum sit nec ne, non liquet: idem sentit Heynius: sed de hac re alio loco. Quae sequuntur carmina Priapeia Scaliger se in antiquo codice reperisse dicit. Dissenius Broukhusio consentit eaque negat Tibulli esse: contra dicit Gruppius p. 235. Mihi nihil persuasum est, nisi haec carmina, certe alterum, elegantia et quasi munditia plerisque Priapeiis multum praestare. — v. 1. *Villicus aerari* Forcellinus et G. C. Anton (in annot. ad Priapeia) legunt, quia villicus olim pro *praefecto* dictus sit. Scriptura *Aerari quondam custos, nunc cultor agelli* ordine verborum minime commendatur: scribendum enim erat: *Aerari custos quondam, nunc cultor agelli.* Praeterea eadem vox *custos* in quarto versu legitur. Multo etiam deterior est scriptura: *rusticus aerari quondam, nunc rusticus horti.* Recte autem se quondam servum, nunc liberum: quondam rei alienae dispensatorem, nunc sui agelli cultorem dicit. — v. 6. De varia scriptura *sed tento* vide Anton. ad h. l. — In altero carmine Heinsius pro *quieta* coniecit *victa.* Horat. Epod. XII, 7: qui sudor vietis cet. At sententia manet eadem: illud autem dictum est paullo decentius. Fortasse id ipsum huic carminum generi Heinsius minus accommodatum duxit: in quo ego dissentio. — v. 7. Scaliger pro *revinctus* scribi iussit *revincte.* de qua re vid. Dissen. ad Tibull. I, 7, 53. — v. 10. *tuas sine arte deligavimus comas.* Dissenius incomtas et hirsutas comas intelligit. At vero in toto Priapo, nisi fallor, nihil artis erat. Priap. C. 63, 9: Huc adde, quod me terribilem deum e fuste manus sine arte rusticae dolaverunt. confer. etiam 9, 4 et Horat. Serm. I, 8, 1. Equidem iungo verba *sine arte* cum *deligavimus.* (Kunstlos flochten wir um deine Haare (conf. Catull. C. 19.). Non omnes *inauratis coronis* deum donarunt: incertum etiam est, num deus *marmoreus* fuerit (vid. Mart. VI, c. 72. Virgil. VII, Ecl. 35), ut Venus illa Paulli Maximi apud Horatium: *aureus* certe non erat, ne inauratus quidem: erat enim id votum vel verbum potius. — v. 16. *pallidus* vel metri caussa praefero voci *squallidus*, quamquam id Dissenio placuit. sed satis erat dixisse *pallidus,* absterso videlicet minio seu rubro colore. — v. 23. Pro *imminente* haud dubie legendum erit *ingemente* aut *in gemente. Intremente* parum aptum est. Sed haec hactenus.